K.23.

Ambitio Sacra:
CONCIONES
DVAE,

LATINE HABITÆ
Ad
Academicos Oxonienſes,
Pro formâ
BACCAL: IN THEOLOGIA.

Prima
Ad Baccalaureos in Artibus Determinaturos, die 27. Febr. 1649.
(*Qui dies vulgò dicitur*, Dies Cinerum.)

Altera,
In ſolenni Termini inchoatione, 21. *Apr*: 1650.

AUTHORE
SIMONE FORD, *S.S.T.B.*
&
Ædis Chriſti in eâdem Academiâ Alumno.

OXONII,
Excudebat *H. Hall.* Impenſis *Aliciæ Curteyne*. 1650.

H

728.81

Reverendissimo, literatissimóq; viro,

EDVARDO REYNOLDO, S. T. D.

Amplissimæ Ædis Christi *Decano*,

& Academiæ Oxonienſis iterum

VICE-CANCELLARIO.

Inſignissime Vir,

CVM frequentissimis amicorum precibus satisfacere, & tuis etiam mandatis morem gerere, harum concionum publicatione in animum induxissem, non debuit quisquam R. T. *à me dignior judicari, neque potuit aptior inveniri, cujus nomini inscriberentur.*

Sicuti enim ad tuum præeuntis exemplum, & eodem etiam fine (ne scilicet prorsus intercidérent

publica Theologiæ exercitia, quæ gliscente bello civili fuerant interrupta) fuerunt à me habitæ: ita, affinis *sunt* Argumenti *doctissimæ illi à* R.T. *non multis retrò mensibus typis mandatæ.*

Summæ n. ejus quæ in naturâ humanâ *reperitur ad rerum cœlestium captū & cognitionē, ἀδυναμίας demonstrationem à te factam, aptissimè excipit noster hic de* Donorum *supernaturalium* appetentiâ *& summâ* gratiæ *sanctificantis supra omnes naturæ & eruditionis perfectiones* excellentiâ *discursus: & proinde* Doctrinæ *isti à* R.T. *traditæ nostra aliqualis annecti potest ulterior* Applicatio. *Accedit etiam, quòd si quid in iis fuerit quod Theologum minùs exercitatum sapiat, aut Latini sermonis desuetudinem arguat, illud ego omne tui nominis umbellâ protegere necessum habeo: spero etenim ea quibus (te judice) indultum fuit, æquiores alios & indulgentiores reperturа. Neque tamen prorsus despero quin alicui bono inservire possint rudes istæ meditatiunculæ. Cùm enim nihil sit toti hominum generi usitatius, quàm Dona spiritualia, aut præ ignorantiâ conculcare, aut præ incuriâ negligere, aut per intemperantiam dilapidare, aut per malitiam vitiorum servituti mancipare; ego proinde, cùm solenne illud pensum*

ante

ante-Quadrageſimale *tuo juſſu aggreſſus ſum, nihil inveni quod opportuniùs tot in* Artibus laureatis *proponerem, eximiâ illâ* donorum præſtantiâ, *quam* primâ concione *exhibui.*

Cúmque ſæpiſſimè etiam eveniat, ut Iuvenes ſtudioſi in hoc orbe Academico primùm conſtituti iſtiuſmodi ſolummodò ſtudiis tempus impendant, (non, quæ bonum Eccleſiæ aut ſocietatis civilis publicum promoveant, aut animos ſuos intrinſecùs ſanent, ſed) quæ ipſos extrinſecùs ornent, & ambitioni ſuæ ad ſumma rerum collimanti ſubſidia quædam, & adminicula ſubminiſtrent; operæ etiam pretium fore exiſtimavi, Donorum differentiam, & excellentiam Gratiæ ſecundâ concione *fuſiùs tractare. Eſt igitur in illâ concione quod viros ſcientiarum æmulos in modo, methodo, fine ſtudiorum dirigat; eſt quod copioſiſſimâ eruditionis ſupellectile inſtructos, à nimiâ illius (utpote rei minùs quàm ipſis videatur pretioſæ,) admiratione diſſuadeat; eſt quod donorum eminentiorum excellentiâ ſuperbientes & ſibimet ipſis eo nomine de æternâ animarum ſuarum ſalute adulantes, corrigat; eſt denique quod eos omnes qui* muſcas *in hiſce Artium receſſibus* captant, *quique in noſtra diſciplinarum arenâ* conchas colligunt,

gunt, *triumphum interim agentes, ac si totam Encyclopædiam expugnâssent, suæ tenuitatis arguat, & convincat.*

Faxit Deus ut eodem bono publico *legantur, cui ab Authore, primùm à pulpito, & nunc iterum à prælo,* publici juris *sunt factæ. Cui etiam* bono publico, *at* R. T. *& reliquas omnes hujusce* Academiæ columnas *servet incolumes seriò precatur*

Dabam è Musæo meo *Aug.* 13. 1650.

Reverentiæ tuæ

servus humillimus.

SIMON FORD.

AMBITIO SACRA.

CONCIO PRIMA.

1 Cor. 12. 31.

Ζηλοῦτε δὲ τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα. Καὶ ἔτι καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν ὑμῖν δείκνυμι.

Sed ambite dona potiora. Et porrò iter ad excellentiam vobis indicabo.

SCribente Apoſtolo primam hanc ad Corinthios Epiſtolam, eadem prorſus fuit facies *Eccleſiæ iſtius* quæ hodie eſt *noſtræ*. Exercitium *donorum* exercitium, (neq; exercitium tantùm ſed & exiſtentiam,) *gratiarum* tantùm non exterminaverat. Et *charitatis* maximè, cui in omnibus iſtiuſmodi concertationibus, quibus unuſquiſq; gloriæ ſuæ cum aliorum diſpendio velificat, parum admodum ſtudetur. Neque minor erat *veritatis* jactura, quàm *charitatis*; utpote cujus nullam prorſus rationem haberi ab eis conſtat, qui unicam nominis ſui famam in lucro ponunt. *Libertas Prophetandi*, omnes

usq; ordinis Ecclesiastici, & severioris disciplinæ limites transgressa, ansam *Schismaticis & Hæreticis* quibuscunque exhibuit, omnia pro libitu confundendi. Quorum illi, Apostolicæ dignitatis æmuli, ad populum pro concione rhetoricantes, aures *vulgi* prurientes comptæ nimis & calamistratæ oratiunculæ blandimentis, & (phrasi Apostolicâ) ὑπεροχῇ λόγου, titillârunt: Hi interim, nova & minùs usitata subinde suggerentes dogmatum monstra, *doctiorum* curiositati gratificari sategerunt.

Unde mirum, quantillo temporis spatio quanta *messis zizaniorum*, dormientibus fortè interim, aut aliud agentibus, ministris Patrisfamilias, in agro ipsius succreverat. De *Schismatis* incremento, abunde liquet ex capitibus hujus Epistolæ 1, 3, & toto ferè hoc 12. De *Hæresi*, quantum profecerit, non obscurè colligi potest ex unico 15 ubi ex professo refutantur negantes *resurrectionem mortuorum*. Neq; in *hæresi* tantùm substiterunt, quibus parum fuit *hæreticos* esse nisi & *blasphemi* evaderent, & immundo *sui spiritûs* afflatu, dicerent ἀνάθεμα Ιησοῦν, hoc est, ipsummet Servatorem mundi bruto sui Anathematis fulmine impeterent; quod videtur posse colligi ex v. 3. hujusce capitis.

Tantis hisce languentis Ecclesiæ morbis occurrere satagit Apostolus. Quibus quò efficacius remedium adhibeat, *fontem* primò & *radicem* tanti mali diligentiùs investigat. Et deprehenso, κακοζηλίαν esse, illam pharmacis profligare conatur satis aptis & genuinis. Eorum, quæ capite præsenti applicantur, seriem exhibere, hodierno instituto sufficiet.

Duo igitur *doctrinæ salubriores* πεῖσματα proponit & propinat ad purgandam pseudo-Apostolorum *vanam æmulationem*.

1. Dona quælibet cujuscunq; generis, impertita esse πρὸς τὸ συμφέρον, hoc est, non vanæ æmulationis aut ostentationis ergò, sed *ædificationis*, V. 7.

2. Finem istum efficacissimè promoveri ex eorundem *varietate*, & *subordinatione*; & proinde ex contrariis contraria eventura.

Primum demonstrat assignatione communis omnium donorum spiritualium fontis & scaturiginis, qui est unus idémque Spiritus Sanctus. Uti disertè asseritur & fusè explicatur, 3, 4, 5, 6, 7. ad

7.ad 11. Unde innuit, minimè verisimile esse, Spiritum istum, omnium membrorum cum capite, & inter se mutuò, commune vinculum, civili inter ea dissidio aut *authorem* fore excitando, aut *fautorem*, excitato.

Posterius deinde illustrat, sumptâ similitudine à corpore humano ejúsq; membris. *Si enim diceret pes, quia non sum manus, ergo non sum ex corpore, & auris quia non sum oculus, ergo neque ego sum ex corpore.* (præterquam quòd valdè inconsequens esset ista conclusio, quam proinde notat acri illâ quæstione, *Numquid igitur non est ex corpore?* v.15.16.) proculdubio actum esset de toto composito, civilibus dissidentium membrorum discordiis miserè discerpto. Si enim uni alicui membro liceret pro arbitrio munus suum sedémq; commutare, pari ratione idem omnibus licebit quod isti licet. Quo admisso, nihil impediret quin (suppositâ (quæ supponi omninò potest) communi membrorum omnium unius ejusdémq; loci & officii appetentiâ) totum corpus ad unicum tantummodo membrum redigeretur, hoc est corpus esse desineret, nam εἰ ἦν πάντα ἓν μέλος, ποῦ τὸ σῶμα; uti ulteriùs interrogat v.19. Hoc supposito, non tam μικρόκοσμος esset, uti ex eximio partium ordine dici consuevit, corpus humanum, quàm μέγα χάος: sive, quod probabilius videtur, ipsum fieret *felo de se*, mortísq; sibi ipsi ultrò illatæ reum perageretur.

Hisce *doctrinæ* loco præmissis, ad totius discursûs *applicationem* proximè descenditur à v.27. inclusivè, ad finem capitis. Vos (inquit) Corinthii, σῶμα Χριστοῦ ἐστε, i. e: *omnes collectivè*, estis Ecclesia organica, neq; hoc solùm, sed & μέλη ἐκ μέρους, id est, *omnes distributivè* estis corporis istius organici membra, vestris quæq; locis disposita. Jam sui juris non sunt Ecclesiarum membra, & proinde non habent potestatem stationes suas, prout visum ipsis fuerit, deserendi, aut invicem commutandi. Neq; assignantur officia *omnibus omnia*, sed *singulis sua*. * Neq; *hominis* est institutio ista sed *Dei*, Deus enim ea, quotquot sunt, ordinavit. Ἔθετο, inquit, ὁ Θεὸς, *posuit Deus, in Ecclesiâ Apostolos, Prophetas*, &c. Neq; *juris divini* sunt ipsa tantùm munia, sed & eorundem inter se invicem subordinatio. *Apostolos* enim instituit, & Apostolos *primùm*; *Prophetas*, & *secundò*, Prophetas; *Doctores*, & *tertiò*.

* Οὔτε ταυτὸ πάντων ἐνέργημα. — καὶ οὔτε ὀφθαλμὸς βαδίζει ἀλλὰ ὁδηγεῖ, οὔτε πὺς προβλέπει ἀλλὰ μεταβαίνει &c. Naz. orat. 26.

τὸν, Doctores; & deinde reliqua istius corporis membra principalia recensèt, *suo* pariter *ordine* distributa. v. 28.

Unde colligit tandem, Multò satius esse æmulationem istam missam facere, quæ bono corporis communi nec non institutioni divinæ contrariatur, & zelo commodiùs locato ea unicè appetere, quæ gloriam Dei, salutem uniuscujusq; propriam, & Ecclesiæ totius emolumentum maximè promoveant. Ζηλοῦτε δὲ τὰ χαρίσματα, &c.

Ζηλοῦτε. *Æmuli estote, ambite.* Bonus proculdubio est iste quem commendat affectus, & ab isto quem *invidiæ* alibi insimulat, maximè remotus. Uterq; tamen *zeli* nomine designatur. Audiatur, si placet, *Philosophus*, de utriusq; naturâ, suâq; ab invicem differentiâ pronuncians. Gal. 4. 17.

Φθόνος, inquit sive *zelus invidentiæ*, ὃς λυπεῖται μὴ ἵνα τὸ αὐτῷ ἀλλὰ δι' ἐκεῖνος, *dolor* scil: *ex bono alterius oriundus, non quia ipsum non sit dolentis sed quia est possidentis.* E contrario.

Ζῆλος, sive *zelus æmulationis*, quamvis *affectu* conveniat, *causâ* differt, cùm sit, λυπεῖται ὐχ ὅτι ἄλλῳ ἐστὶ ἃ ἐκεῖνος ὃ ἐστιν ἐκεῖνος ἔχει αὐτὸ δεῖται: *non quia sit possidentis quod appetitur, sed quòd non sit etiam dolentis.* Dolor igitur *invidentis*, fratrem habet pro objecto, & causâ: *æmulantis*, pro adjuncto tantùm & ansâ, addítq; calcaria, non tam, *pungentia* ad ægritudinem, quàm *urgentia* ad sollicitudinem. Cui etiam addendæ conditiones sequentes.

1. Ut *bonum* illud de cujus absentiâ dolemus, sit ejusmodi, *cujus æquè licita sit utrisque fruitio,*

2. *Cum alterius dispendio non desideretur,*

3. Providendum denique, ambitionis istius *fontem* & *fomitem* non esse vanam mei ipsius *ostentationem*, *turpe lucrum*, aut contra præsentem statum, Deiq; prudentes in eo dispensationes *obmurmurationem*, quæ si adhibeantur, tantum abest ut reprehensionem mereantur ita *æmulantes*, ut ad æmulationem istiusmodi potiùs excitentur desidentes. Ζηλοῦτε δὲ, &c.

Neq; tamen in *omnibus* licita est ambitio ista. Damnatur ubique vana nominis & titulorum appetentia, nec non omnium aliorum, *quæ* & *quatenus* ultra nos & interesse nostrum particulare, ad fines illos ulteriores non tendunt, quorum gratiâ *nos*

sumus

ſumus, vivimus, & movemur. Facem igitur præfert Apoſtolus æmulationi noſtræ, in ſequenti *objecti*, circa quod verſari debet, deſignatione *Ambite* χαρίσματα τὰ κρείττονα, *dona potiora.* Act. 17. 28.

Χαρίσματα. Quæ vox hoc in loco eam ſignificat donorum ſpiritualium ſpeciem, quam electis & reprobis ex æquo communicat Spiritus Dei; *communem* ſcilicet, & *inefficacem gratiam.* Quo ſenſu χαρίσματα opponuntur illis ejuſdem ſpiritus *donis ſpecialibus*, quæ vocat ubique ſcriptnra ſacra, ἐχόμενα τῆς σωτηρίας, θεῖαν φύσιν καινὸν ἄνθρωπον, δόξαν Θεοῦ, καινὴν κτίσιν, ζωὴν αἰώνιον, Κυρίου εἰκόνα, &c. Heb. 6. 9. 2. Pet. 1. 4. 2. Cor. 5. 17. 1. Joh. 3. 15. Eph. 4. 24. 2. Cor. 3. ult. Neque tamen me latet, χαρίσματος vocabulum ſæpenumerò indifferenter accipi pro gratiâ utrâque, *ſpeciali* hâc, *communi* alterâ. Quod inde accidit, quia utræque hoc habent *commnne*, quòd ſint ab eodem *Spiritu Sancto*, nullo interveniente merito noſtro, κεχαρισμέναι, ſive *gratis donatæ.* Sed iſta minimè officiunt interpretationi noſtræ; quoniam (præterquam quòd ſæpiſſimè diſtincto ſenſu uſurpentur voces [Χάρις & χάρισμα] apud ſacros ſcriptores, uti videre eſt ex collatis paucis hiſce S. ſcripturæ locis, Jo. 1. 16. Eph. 2. 8. Col. 4. 6. Rom. 12. 6. 1. Cor. 1. 7. 1. Tim. 4. 14) evidenter apparet χάρισμα in diſtincto iſto & peculiari ſenſu ab Apoſtolo hoc in loco uſurpari. Talia enim dona intelligit quibus quamlibet inſtructiſſimus ſit quiſpiam, ſono tamen, & ſtrepitu tantùm excellere poſſit, & (quantùm ad ſummos illos religionis fines, Dei gloriam, ſalutémque proximi & ſuam) mera reddi cyphra, nullius in religione numeri aut nominis, magnum nihil, uti patet ex collatione hujus verſiculi cum *primo* capitis ſubſequentis.

Iſta tamen quia aliquid in ſe habent ſplendoris, uſúſque ſubordinati, *appeti* poſſunt, & debent, *duplici* tamen *cautelâ adhibitâ.*

Primò, *ut ſervetur debitus donorum delectus.* Neque enim omnia æquali fervore animi & contentione ſunt appetenda. Quod expreſſè cavetur, cùm addatur [τὰ κρείττονα] De quo optimè *Chryſoſtomus*, Οὐκ εἶπε τὰ μείζονα, *non maxima dixit, ſed optima.* Et optima illa quæ ſint, ſi quis ultrà quærat, ipſe etiam in ſequentibus exponit, τοῦτ' ἔστιν, inquit, τὰ χρησιμώτερα καὶ συμφέροντα, ea ſcilicet, Chryſ. in locum.

ſcilicet, *quæ maximè conducunt ad ſalutem & ædificationem.*

Deinde, *ne etiam in Donis quibuſvis, cujuſcunque generis inferioris, ſubſiſtat æmulatio*, ſed ulteriùs progrediatur ad eorum appetentiam quæ excellentiam habent eximiam & ſingularem, hoc eſt, ad gratiam ſanctificantem & ſalvificam,* quam proinde inſigni elogio commendat ambientibus tanquam ὁδὸν καθ' ὑπερβολὴν: *viam*, id eſt, ad ſalutem, & ædificationem, eámque *excellentiæ ſingularis & hyperbolicæ*. Quamvis enim eſſent, ex chariſmatum genere quæ ordine inferiori & quaſi ex accidente, aliquid poſſent ad ſalutem conferre, quæque ratione inſtitutionis divinæ ad ædificationem ordinarentur; nulla tamen eſt paritas inter exilia hæc & illa excellentiora, quæ in ſalute neceſſariò terminantur, & ædificationem magis γνησίως ſive ſtudio magis naturali promovent. Comparationem hanc inter dona ſpiritûs & gratiam, fuſiùs proſequitur Apoſtolus capite ſequenti (ad quam, dicit Paræus, ἀπολύξει tranſit in præſenti clauſulâ) ubi diſertè aſſeritur, omnia iſta dona, ſi gratiâ deſtituantur, inania prorſus eſſe, & nullius ponderis. In quâ comparatione, uſitatâ ſatis ſynecdoche, omnem gratiam ſanctificantem *charitatis* nomine comprehendit, omnem gratiam communem externis illis, *linguarum* & *miraculorum donis*, & internis, *liberalitatis* & *fortitudinis* ad martyrium conſtantis, ſub ratione habituum moralium conſideratarum: & proinde contextus noſter, cùm iſtam collationem inchoet, eundem omninò ſcopum & ſenſum compendio exhibet, qui ibi fuſiùs explicatur. Qui proinde hæc duo continet.

1. *Collationem* donorum ſpiritûs communium, cum ſpecialibus, hoc eſt, chariſmatum cum gratiâ.
2. *Collationis* iſtius ad communes Corinthiorum uſus ſanam ſeriámque *applicationem*.

In illa conſiderandum ulteriùs.

1. *Conceſſionem* duplicem,
   1. *Dona ſpiritualia eſſe in ſuo genere bona.*
   2. *Ex iis tamen alia aliis eſſe potiora.*

Cùm enim dicat τὰ κρείττονα bona præfirmat & inæqualia inſinuat eodem vocabulo,

* *Viam demonſtro — vult nos illa magis quæ tere quæ ex nobis ſunt, & ad vitam proſunt, quàm ſigna, quæ in noſtrâ poteſtate non ſunt.* Hieron. in locum.

cabulo. Neque poſſunt non eſſe bona quibus appetendis Zelus Chriſtianus debeat impendi.

2. *Concluſionem* unicam; quâ coronam donorum quorumlibet capiti detractam, gratiæ aſſignat geſtandam. Illam enim vocat ὁδὸν καθ' ὑπερβολήν.

In hâc etiam notanda ulteriùs iſta

1. *Zelum Corinthiorum* erga dona ſpiritualia, cujuſcunque generis, in ſe conſideratum, *approbari.*

2. *Eundem* rectiùs *dirigi*,

1. Ad *delectum donorum*, & differentiam inter ea ponendam. Ζηλοῦτε τὰ κρείττονα.

2. Ad *Prælationem gratiæ*: χάριτι, &c.

Priora illa doctrinæ loco præmittit, quibus deinde applicationis loco ſubjungit hæc *poſteriora*. Illis enim poſitis, hæc ſequuntur. Rectiſſimè enim concluditur.

1. Dona, ſi ſint præſtantia, ambienda.

2. Dona inter ſe diſcrepantia, cum delectu ambienda.

3. Gratiam, ſi omnibus donis ſit præſtantior, maximo proinde ſtudio, ſummâque diligentiâ proſequendam.

Hæc omnia ſuo ordine breviter, tanquam canis ad Nilum, percurremus. Loquendo,

1. De *præſtantiâ Donorum* ſpiritualium, & eorundem *Zelo*.

2. De *differentiâ Donorũ*, & habendo proinde eorum *delectu*.

3. De ſummâ & hyperbolicâ *Gratiæ* ſanctificantis *excellentiâ*, ejuſque ſummâ *prælatione*.

Præſenti concione agemus unicè de

1 *Donorum ſpiritualium præſtantiâ*, quam unicâ hâc Theſi tractabimus, Donis omnibus ſpiritualibus ſuam eſſe præſtantiã: Eam triplici Argumento demonſtrabimus:

Theſis prima. Donis omnibus ſpiritualibus ſuam eſſe præſtantiam.

1 *A fonte* unde derivantur,
2 *A naturâ* quâ veſtiuntur,
3 *A fine* ad quem ordinantur
} Hæc χαρίσματα.

1 *Fons* iſte, unde derivantur, eſt ipſe *Spiritus Sanctus*:

1 Quantum enim (primò) ad *dona ſuperioris ordinis & naturæ*, ea præſertim quæ (cùm ſint in confinio gratiæ poſita) parum cautos & nimis credulos ſæpiſſimè decipiunt, ea omnia *Spiritûs* ipſius

ipsius *nomine* insigniuntur: Huc respicit, quòd communium istiusmodi donorum participes dicuntur μέτοχοι πνεύματος ἁγίου, Heb:6:4. Quo etiam in loco pleniùs explicatur, quid sibi velit per istam Sp: Sancti participationem: scilicet *illuminationem* communem, * & *gustum verbi divini* inefficacem & fluidum, hoc est, judicium aliqualiter discernens, & (sicut palatum spirituale) dijudicans doctrinas, & explorans dogmata, utrum sint, nécne, secundùm analogiam fidei attemperata: affectum deinde erga verbum illud partialem & subitò evanidum qualis esse dicitur *terræ petrosæ*, Math. 13.20.21. *Ibamen* denique aliquale *doni cœlestis & potestatum sæculi venturi*, id est, vim & efficaciam partialem & mutilam istius illuminationis & gustûs imperfecti in conscientias & conversationem. Qualiter affectos asserit *Petrus effugisse pollutiones mundi*, hoc est, omnia peccata *ex genere Gigantum*, majoris reatûs, & infamiæ graviori obnoxia. Inde frequenti Apostolorum stylo dicuntur istiusmodi motibus & impressionibus cœlestibus vim facientes ἀπωθεῖσθαι & ἀντιπίπτειν τῷ πνεύματι, Act:6.10. & 7.51. λυπεῖν τὸ πνεῦμα, Eph.4.30. σβεννύειν τὸ πνεῦμα 1.Thess 5.19. τὸ πνεῦμα τῆς χάριτος ἐνυβρίζειν, Heb:10.29. & (cùm summum attigerint injuriæ istæ malitiæ apicem) βλασφημεῖν τὸ πνεῦμα, Mat.12.32.

* Τὸ βλέπειν ἐκ ἄνω πνεύματος: Bas. lib. de Sp.S.

2. Pet.2.20.

2. Quantum (etiam) ad *dona ordinis inferioris*, ea scilicet quæ possessorem extrinsecùs ornant, eúmque ad communionis publicæ & privatæ officia præstanda disponunt; abunde liquet vel ex hoc ipso capite, omnia illa esse πνεύματος φανέρωσιν, utpote in quibus satis manifesta appareant divini spiritus vestigia. Inde est, quòd istiusmodi donorum abundantiam supremis senescentis mundi temporibus pollicitus Dominus *effusionem Spiritus* appellat, Act. 2.17. sicut & Joelis 2.28. unde sumitur ab Apostolo; & donorum istiusmodi participes frequenter in sacris literis dicuntur λαβεῖν πνεῦμα ἅγιον, πλησθῆναι πνεύματος ἁγίου, βαπτισθῆναι πνεύματι ἁγίῳ, uti pleniùs patebit conferenti paucula hæc scripturæ loca. Act.8.13.2.4.9.17.11. 16. Inde etiam usitato satis Hebraismo, Isaias Propheta donorum pariter & gratiarum abundantiam in Christo Mediatore futuram exprimens, *super illo quiescet*, inquit, *spiritus sapientiæ*

&

& intelligentiæ, ſpiritus conſilii & potentiæ, ſpiritus ſcientiæ & reverentiæ Jehovæ. cap:11.2.

Abunde igitur ad chariſmatum gloriam facit quòd talem habent Authorem. Sicut enim inter nos homines maximè excellunt opera iſta quibus ſumma animi intenſione, omníque mentis conatu incumbimus & inſudamus: ita etiam ratione minimè abſimili, de divinis affirmare liceat, donis hujuſmodi eximiam præ omnibus aliis excellentiam exinde aſtrui debere, quòd in ipſorum productione magis operari videtur Deus quaſi *de ſtudio & induſtriâ*. Neque eundem honoris gradum obtinent opera *manuum Dei*, cum eis quæ operatur *Spiritus Dei*. De excellentiſſimis quibuſque creaturis, de cœlo ipſo & illuſtribus ipſius luminaribus dicitur tantùm opera eſſe *manuum Dei*, déque mirandis divinæ providentiæ & ſtupendis eventibus affirmatur tantùm *Digitus Dei hîc*, Exod: 8.19. Quando verò de donorum ſpiritualium communicatione ſermonem inſtituit, horum unicuique, honoris ergò, quaſi *literis aureis & capitalibus* inſcribitur, *Spiritus Dei hîc: omnia enim iſta inoperatur unus idémque Spiritus*, hoc eſt, eminenter, & non (ſicuti priora illa) communi & ordinariâ influentiâ. v.11. Neque Spiritûs tantùm divini ſunt afflatus & ſpiramina, ſed & *ſanguinis divini* (quatenus ſanctorum emolumento inſerviunt) αἱματα. Unde eſt, quòd fructibus reſurrectionis & aſcenſionis Chriſti annumerantur, Act:2.33. & Eph:4.8. &c.

2. *Natura quâ veſtiuntur*, cùm ſit *ſpiritualis*, ulteriorem dignitatis gradum largitur. Quandoquidem unumquodque parem iſti naturæ ordini in quo exiſtit, excellentiam ſortitur. Inter omnes verò naturalis excellentiæ gradus, ii præſtantiores meritò judicantur qui proximè ad Deum ipſum ſummum naturæ ipſius Authorem accedunt: Inde eſt quòd cùm eſſentia Divina ſit à materialitate maximè abſtracta & ſeparata, proximum ab ipſo locum ſortiri judicentur quæ *ſeparatæ* ſunt *eſſentiæ*, cujuſmodi ſunt Angeli & Animæ rationales. Pari proinde ratione nobilior erit anima corpore, ejúſque dotes & habitus viribus corporeis, & materialibus quibuſcunque longo intervallo ſunt præſtantiores. Dona igitur iſta cùm ſint ſpiritualia,

animæque propria & peculiaria ornamenta, singularem habent, & omnibus externis cujuscunque generis, invidendam, dignitatem, secundum illud *Clementis Alexandrini*, * (cùi etiam suffragatur *Aristoteles* *.) Τὸ συμφέρον τῷ τιμιωτέρῳ αἱρετώτερον.

* Strom. 4.

* Top. 3. c. 1. τὸ τῷ βελτίονι καὶ τιμιωτέρῳ ὑπάρχον, αἱρετώτερον.

Neque hic illis *solus* honor debetur: Quin & ulteriùs considerari debet, aliqualem saltem acquiri ex donis istiusmodi *naturæ* collapsæ *reparationem*. Sicut enim in naturali facultatum rectitudine quæ in *Adamo* fuit, posita erat pars non exigua imaginis divinæ, adeò ut, ipso peccante, maxima ista naturæ humanæ perfectio, unà cum favore Dei, & præmio supernaturali, fuerit deperdita: ita in earundem facultatum culturâ (qualiscunque demum illa fuerit) aliquales conatus, imbelles quamlibet & impotentes, exeruntur ad ruinas istas restituendas. Quódque de *accidentalibus differentiis* apud Dialecticos dicitur, idem de *charismatum excellentiis* apud Theologos usurpari potest; quòd, licèt ἄλλον minimè faciant (gratiæ enim est proprium novam naturam impertiri) ἀλλοῖον tamen efficiunt possidentem, & à seipso (immane quantum!) immutatum. Quale quid in *Saule Prophetante* evenit, cui licèt pristina naturæ malitia integra remansit, mutatio tamen ex dono prophetiæ adeo insignis contigit, ut *vix idem* videretur, cum admiratione scisitantibus, *Quid est quod accidit filio Kischi? numquid Saul etiam inter Prophetas?* 1 *Sam.* 10. 11. quiq; ipso Sp. S. pronunciante, tantum mutatus est ab illo Saule qui asinos patris nuper quæsierat ut factus videretur אִישׁ אַחֵר in *novum* prorsus *virum* transformatus, *vers.* 6. ejusdem capitis.

12. Dan. 3.

3. Quoad *finem* & *usum* majus adhuc quippiam, & nobilius fastigium ipsis debetur. Si enim qui prælucendo aliis authores extiterint ut converterentur, *splendebunt sicut stellæ in expanso cæli*, dona ista quorum adminiculo illud præstiterunt, quanto in honore sunt habenda? quibus utique viam præmonstrantibus, veluti *stellæ servatoris natalitiæ* radiis, totum illud opus (quantum ad media attinet & instrumenta) in solidum debetur. Quòd quomodo fiat, paucis accipite. Donis (quantum ab iis secundùm mediorum efficaciam fieri potest) debetur

evidentia

evidentia veritatis, convictio peccantis, inclinatio averſantis, confuſio adverſantis, conſolatio dubitantis, confirmatio vacillantis, opitulatio operantis. Donis illuminatur intellectus, inclinatur voluntas, excitantur affectus, pungitur conſcientia, tota denique anima Dei arbitrio in ſolidum ſubjicitur.

Ob. Sed in *Sanctis* forſan iſta, dicet quiſpiam, nec non ſpeciali, & efficaci gratiâ adjuta, operantur. Nunquid etiam in *reprobis*? *Sol*: Multum ſanè; utpote in quibus effronti nimium & effræni peccandi licentiæ modum ponant, quorum conſcientias peccatorum ſtimulis confodiant, quorum operas ad aliorum ædificationem promoveant, juſtitiam denique divinam à crimine abſolvant, ſi *cùm aliis prædicaverint* (quod ait Apoſtolus 1. Cor. 9. 27.) *ipſi fiant rejectanei*. Quippe meritò pereunt, qui ſuam negligunt ſalutem dum provehant alienam, cùm veriſſimum ſit quod ait *Solomon*, Prov. 9. 12. eum *qui verè ſapit, ſibi ſapere*.

His præmiſſis, unam & alteram *concluſionem practicam* ſubjungemus, quibus horulæ pariter hujuſce penſum abſolvemus; cætera quæ de *Theſib: ſecundâ & tertiâ* dicenda reſtant in aliam concionem rejecturi. *Applicatio.*

Ex dictis colligi poteſt,

1. quanto *honore proſequenda*,
2. quanto *ſtudio acquirenda*,
3. quantâ *vigilantiâ conſervanda*,
4. quantâ denique; *fide eroganda*,

ſint hæc divinæ beneficentiæ *dona* (dicam?) an *depoſita*.

Faceſſat igitur (primò) incultus & agreſtis *Artium* & *ſcientiarum contemptus*, quæ etſi infra gratiæ ſanctificantis excellentiam ponantur, inter chariſmata tamen magnopere eminent; & proinde utcunque minimè mereantur *coronari*, nullo tamen modo merentur *conculcari*. Satis trita eſt iſta, neq; magis proverbio nota, quàm experientiis comprobata ſententia, *Non habere ſcientiam inimicum niſi ignorantem*. Quippe, nullo modo fieri poteſt ut eam *reſpuant ſcientes*, aut *appetant neſcientes*; quia ordine à naturâ inſtituto, appeti non poteſt quippiam niſi ex præexiſtente cognitione, (non enim cæco impetu, aut ſecreto quodam naturæ inſtinctu imperantur actiones animæ humanæ, I.

sed *funiculis* potiùs *humanis*, (uti loquitur S.S. Hos. 11.4.) h.e. objectu eligibilis alicujus boni, eliciuntur) neque rejicitur quippiam nisi ex judicio intellectus practici priùs habito, de ejus rei quæ rejicitur malitiâ, aut saltem (ita loqui liceat) inappetibilitate. Quæ de scientiis nostris tantum abest ut pronunciet mens sciens & sui compos, ut de ipsis veriùs affirmari posset quod de virtute assertum legimus, *si oculis humanis percipi possent, incredibiles in animo intuentis sui affectus excitaturas.* Eâ profectò de causâ quæ res pretiosissimas, Deum ipsum & animas nostras contemptui exponit, vilipenduntur disciplinæ liberales, quia deest (scil.) homunculis animas pro sale tantùm habentibus, lux interna objecta discriminans. Quibus perinde accidit, ac istis quibus in nocte tenebrosâ auferuntur lucernæ, quibus (proinde) τυφλαὶ αἱ ὄψεις, ἀνενέργητοι αἱ δυνάμεις ἀνθεπίγνωστοι δὲ αἱ ἀξίαι, καὶ χρυσοῦ καὶ σιδήρου ὁμοίως πατουμένων διὰ τὴν ἄγνοιαν, inquit *Basilius*. Insignis est homunculorum scientiam concul-
Lib. de Sp. S. cantium character quem habet Apostolus *Petrus ep.2.cap:2.12.* *Illi*, inquit, ὡς ἄλογα ζῶα φυσικὰ, &c. *velut animantia rationis expertia, quæ naturali impetu feruntur, ea vituperant quæ ignorant:* hoc uno excusabiles, quod nisi illa ignorâssent, minimè vituperâssent; neque tamen magis excusandi, quàm qui *si cognovissent* (teste Apostolo) *Dominum gloriæ non cruci fixissent.*

II. 2. *Facessat* (secundò) *desidiosa & ignava donorum appetitio.* Malè quis ea desiderat, quæ cùm à Deo *petat*, sibi ipsi *neget.* Frangenda nux ut eruatur nucleus, vertenda gleba ut percipiatur fructus, nec nisi ipsa *terrarum* viscera rimanti, obtingunt absconditi *tenebrarum* thesauri; *omnia* denique (quod Græcis in proverbium abiit) *laboribus vendit Deus.* Et mirum profectò videri posset, si impar esset, in præcipuis omnium quæ humano generi largitur donariis divina benignitas, acquirendi ratio. Majora certè sunt ista quàm quæ dormientibus, aut aliud agentibus benignâ nimis cœli influentiâ desuper instillentur. Neque Spiritûs afflatu immediatè (sicut in Ecclesiæ nascentis incunabulis) & unico momento infunduntur; sed studendo, orando, audiendo, audita invicem conferendo,

conferendo, certísque quasi gradibus & succeſſivis acceſſionibus acquiruntur (*a*)

3 *Faceſſat* etiam *profuſa & prodiga donorum decoctio*, utpote non *contriſtans* tantùm, & repellens Spiritum Dei, ſed & *extinguens*. Si igitur magna ſit in amiſſo (& proculdubio magna eſt) jactura, certè major erit in extincto reatus. (*b*) Cavete obſecro, peccata illa quæ *cor adimunt*,* corpus enervant, conſcientiam vaſtant, quæ ullas denique divinæ imaginis notas, rudi quamlibèt manu & incurioſo penicillo exaratas obliterant & expungunt. Certum eſt, emortuâ radice folia propediem exaritura, neque quempiam diuturnam donorum gloriam & perennem virorem ſervaturum qui (tantum abeſt ut *Chriſtianus* dici mereatur) à communibus ipſius *humanitatis* principiis deſciverit. (*c*)

4 *Faceſſat* etiam *avara nimis & ſordida donorum parſimonia*. Diſpenſatores ſumus charismatum, non Theſaurarii, neque tam *condi*, quàm *promi*. *Requiritur* itaque (aſſerente Apoſtolo) *in diſpenſatoribus ut fidi inveniantur*. (*d*) Fidcs iſta, in erogandis ad placitum Domini redituum proventibus maximè ſpectatur. Peſſimè profectò diſpenſatoris partes obiiſſet *Joſephus*, ſi ſeptem annorum meſſes, poſcentibus panem famelicis Ægyptiis, muribus & ſoricibus in horreis devorandas conſervâſſet. Neque magis fideliter agunt qui cùm apud nos bis ter ſeptem annorum operam liberalibus ſtudiis impenderint, uberrimos tamen tot ſtudiorum proventus patiuntur intra privatos *Collegii* alicujus parietes ſenio ſitíque obduci, cùm ea interim ubique ſit hujuſce Gentis conditio quæ obſeſſæ Hieroſolymæ, Threnorum 4.4. *Adhæret lingua lactentis palato præ ſiti, parvuliſque petentibus panem vitæ qui partiatur nemo eſt* (*e*). Setiò igitur exorandi à me eſtis (& utinam exorandi!) ne *minas veſtras*

III.

a Particulatim, quicquid ſuperna largitas donat, accreſcit, ut conferendorum munerum cauſa, de iis quæ ſunt collata pariatur. Ambr. de voc. Gen. lib. 3. c. 3.

b Sicut ſervi hominum divitum, & procuratores, quibus

IV. *vel ſupellectiles copioſæ, vel cellaris opulentia creduntur, fideles abſque dubio dici non queunt, ſi res ſibi traditas devorârint: ſic profectò etiam Chriſtiani homines infideles ſunt, ſi bona ſibi à Deo aſſignata, corruperint.* Salv. de gub. D. l. 2. Hoſeæ 4. 11.

c) Ab amittente Evangelium & Spiritum S. auferuntur multa illa dona, conſilium, &c. Melanct: in Matth: 25. (*d*) *Nemini dubium eſt, quòd ea quæ Dei dono accepimus ad Dei cultum referre debeamus, & in ejus opere conſumere quæ ejuſdem ſumpſimus largitate.* Salv. ad Eccl. Carthol. *l.* 1. (*e*) Ἐπαναγκὲς τὸν ὑποδεξάμενον ὁιανδήποτε χαρὶν μεταδιδόναι τῷ χρείαν ἔχοντι. Baſ. Reg. Brev. Int. 253. Item, Οἱ ἀνάξιοι τῆς χαρὶτος Θεοῦ ὡς ἀφαιτοῦντες εἰς ἀπόλαυσιν ἑαυτῶν, καὶ μὴ ἄλλοις ἐυεργετοῦντες, ὡς κύριον τὸν τάλαντον κατακρίνει. Int. 62. Item. Ἕκαστον χάρισμα ὃ μᾶλλον διὰ ἑαυτὸν ἢ διὰ τοὺ ἄλλους ὁ λαμβάνων ἔχει. reg. fuſiùs diſput. Q. 7.

in sudario reponatis, ne fiatis vites vacuæ fructum vobis ipsis facientes, ne comprimentes triticum execrentur populares, ne negligatis denique donum quod in vobis est. Luc: 19. 20. *Hos:* 10. 1. *Prov:* 11. 26. 1 *Tim:* 4. 13, 14. *Intenti estote* Patres, & Fratres summè reverendi, *lectioni exhortationi, doctrinæ, in his este*, sicuti disertis verbis Timotheum hortatur Apostolus, loco citato. Semper memores datæ à Deo ipso fidei, *dona vestra dispersione auctura, animum beneficum pinguem futurum, fore ut qui ubertim communicat, idem amplius profundat, Prov:* 11. 24, 25. (*a*) futurum denique ut *qui fidelis est in minimo super multa constituatur*, promittente servatore, *Math:* 25. 23. (*b*)

Nolo tamen ut (quod à quibusdam maleferiatis hâc tempestate frequentissimè factitatur) tyrunculus quilibet & audax sciolus, quamprimùm (seipso judice) ad ministerium sufficienter instructus videatur, cum horrendâ nominis Divini injuriâ, cum profano institutionis divinæ contemptu, cum deplorandâ denique operis istius vel ipsis Angelis tremendi, contumeliâ ineptias suas & quisquilias ubique audeat confidentiùs quàm par est, effutire. (*c*) Nusquam legi inter *Dona* Spiritûs Sancti *inscitiam* & *impudentiam* Proinde, si *dona* habeamus, comparanda est *vocatio* per quam dona ista sine munerum prohibitorum invasione possimus erogare. Dona vestra aliorum examini, & eorum præsertim qui maximi sunt in Ecclesiâ nominis, notæque minimè vulgaris, volentes submittite; *Spiritus enim Prophetarum Prophetis subjiciuntur* 1 *Cor:* 14. 32. Dona authoritativa qualificantibus adjungite. Qui dedit dona *Apostolis* & *Doctoribus*, dedit etiam dona *Apostola-*

(*a*) Καὶ τοῦ ἰδίου ἀπολαύει, πολυπλασιάζων αὐτὸ τῇ μεταδόσει, καὶ τὰ τῶν ἄλλων ὡς ἑαυτοῦ καρποῦται. Bas. ubi suprà.

(*b*) *Cavendum est aut dare quod nobis accepimus, aut quod erogãdum accepimus, retinere. Rem profectò proximi retines tibi si (verbi causâ) plenus virtutibus cùm sis, forisque nihilominùs donis scientiæ & eloquentiæ adornatus, metu fortè, aut segnitie, aut minus discretâ humilitate verbum bonum quod prodesse multis posset, inutili, imò & damnabili ligas silentio, certè maledictus quòd frumenta abscondis in populis.*

(*c*) *–Rursum quod tuum est spargis, si priusquam infundaris tu totus, semiplenus festines effundere; contra legem arans in primogenito bovis & ovis primogenitum tondens. Nimirùm, vitâ & salute quam alteri das, te fraudas dum sanâ vacuus intentione gloriæ inanis veneno inficeris, & lethali Apostemate turgens interis. Quamobrem si sapias, concham te exhibebis & non canalem.* Et iterum, *–En quanta infundenda sunt ut effundere audeamus, de plenitudine, non de penuriâ largientes.* Bern. in Cant. S. 18. Μέγα τὸ διδάσκειν, ἀλλὰ τὸ μανθάνειν ἀκίνδυνον. Τί σεαυτὸν ποιεῖς ποιμένα, πρόβατον ὤν; τί γίνη κεφαλὴ, πῶς τυγχάνων; τί στρατηγεῖν ἐπιχειρεῖς, τεταγμένος ἐν στρατιώταις; Nazianz. orat. 26.

tus

tûs & *Doctoratûs*, *Eph*: 4.11. Neque igitur negligenda ſunt *Dona* quibus datur *facultas* prophetandi, neque *manus Preſbyterii* quibus conceditur *poteſtas* prophetandi, 1 *Tim*: 4. 14. Neque (quod de pſeudoprophetis queritur Deus) *currat* quiſpiam *ipſo non mittente*, ne audiatur quod de iſtiuſmodi prophetis præcocibus pronunciatur, *Jerem*: 23. 21, 30, 31, 32.

Faceſſat (denique) *maligna, & contra intentionem patriſfamiliâs, perverſa profuſio.* Quæ ſit, V.

1 *Cùm ſeriò nugamur*, ſummâ animi intenſione nihil agentes. Quod faciunt, qui in ſcenâ & theatro & difficilibus iſtiuſmodi nugis & ineptiis puerorum & fœminarum plauſui velificant, aut (dum vanam nominis gloriam à vanioribus judicum leviuſculorum ſuffragiis aucupantur,) in Eccleſiâ & ſuggeſtu rhetorices minutiis frangunt ſcripturæ majeſtatem, & Theologicæ veritatis pondera, auréſque vulgi prurientes vano verborum ſtrepitu complent, aut lenociniis titillant, *ingenia interim non tam illuſtrantes quàm damnantes*, (uti optimè de vanis ſcriptoribus *Salvianus*,) fiúntque *æra* verè *reſonantia, & tinnientia cymbala*, quod de vanis linguarum oſtentatoribus Apoſtolus elegantiſſimè pronunciat, *v.1.cap:* inſequentis. Vereor ſanè, maximè vereor, ne incaſſum cedat omnis hujus Academiæ reformatio, niſi arceatur a ſuggeſtu, quæ poſt exactos ſuperiorum temporum *hiſtriones Theologaſtros*, locum hunc denuò conatur uſurpare, *declamatrix oſtentatio.* Salv. Præfat.

2. Quæ ſit (ſecundò) *cùm pennis ſuis Deum ipſum chariſmatum noſtrorum & omnis etiam donationis bonæ authorem ingrati feriamus.* Quod faciunt, qui profana ſua ſcommata ſacris ipſius & ſummè verendis inſtitutionibus, viis, filiis audent affigere; qui eximias naturæ & doctrinæ dotes impendunt ad ſceleris patrocinium; quicunque illas denique e quibus acceptiores aliis evadunt facultates, velut retia & plagas ingenuæ fratrum ſimplicitati obtendunt; quod Apoſtolo eſt συλαγωγεῖν, δελεάζειν, ἐξαπατᾶσθαι, & αἰχμαλωτίζειν, fratribus noſtris *fuecos facere, decipulas & laqueos ponere, ipſóſque tanquam prædam caſſibus* Jacob. 1. 17.

Hortatio ad B. Determinaturos.

Et nos itaq; usũ tantùm accepimus earum rerum quas tenemus: commodatis enim à Deo facultatibus utimur, & quasi precarii poſſeſſores ſumus, Salv. ad Eccl. Cath. lib. 1.

Act. 13. 36.

(a) *In uſu donorum præcipuus eſt uſus invocatio & precatio.* Melanct. in Mat. 25.

(b *Probpudor! tam celebris facta eſt verbi Dei præconibus Peripateticorũ authoritas, ut in cathedrâ Chriſti crebriùs citetur Ariſtoteles in medium quã aut Paulus aut Petrus.*

Et infrà.

Fur furcs puriſſimæ farinæ cõmiſcuit quiſquis hunc prædicandi modum primus invenit.

caſſibus noſtris irretitam captivos abducere. Coloſſ. 2. 9. *2 Pet:* 2. 18. *Rom.* 16. 18. *2 Tim.* 3. 6.

Denique recordemur omnes ſummi illius & tremendi judicii in quo reddenda eſt omnibus exactiſſima acceptorum ratio. Memineritis fratres, pro donorum numero & proportione exactum iri parem proventum, utpote quorum *precarii ſumus poſſeſſores*, aut *uſufructuarii* tantùm, (neque hoc in ſolidum) non *Domini; creſcentibus donis, & rationes donorum concreſcere*, neque quempiam *gratis* ditiorem eſſe, aut doctiorem proximo. Sicut enim in menſâ, & veſtitu, & famulitio, majores ſumptus requirit major & abundantior opum affluentia, & titulorum magnificentia: ita etiam in ſpiritualibus hiſce opibus expectantur à Deo largiente pares acceptis expenſæ; ut multiplicatis communicatione talentis hiſce, Domino noſtro, cùm venerit, pecunia ſua *cum fœnore* reddatur. Strenuam interim navemus operam (placet enim ex præſenti occaſione, eorum quæ alterâ concione dicenda ſunt paucula anticipare) ſtrenuam (inquam) navemus operam ut *ætatulæ* noſtræ fidelitèr *inſerviamus*, ne de neglectis *vivendi cauſis*, ſeriò & ſerò doleamus morituri. Curſum iſtum primo mane auſpicemur cujus meta æternitate coronatur; neque patiamur vitam nobis abſumi, dum de eâ ordinandâ deliberamus. Vos verò maximè exorandi eſtis, *Juvenes ſpectatiſſimi*, quibus prope integra eſt ætas, neque præter pueriles ineptias, quippiam retro eſt de quo doleatis, ut irreparabilem temporis jacturam *determinando* de vitæ futuræ inſtitutione præveniatis; ne, dum nihil certi de vobis ſtatueritis, cereos animos, & ductiles affectus Satanæ exhibeatis ipſius ſervitio mancipandos. Seriò orandi eſtis ut omnium donorum finem illum qui vitæ etiam finis eſt, ſtatuatis, ſtudiiſq; veſtris, & toti converſationi veſtræ præficiatis Deum. Perperam *ſtudet* qui parcè orat (a). Verbum Dei imprimis revolvite. Relegandus eſt ad Ethnicos (neque enim niſi in opprobrium Chriſtianiſmi Chriſtianus dici meretur) qui contextûs *Biblici* magis ignarus eſt quàm *Ariſtotelici*, (b) aut à

Et Rurſus. *Diſquire Sermones Origenis & Hippolyti &c. – non ibi allegatur Peripateticus ille Ariſtoteles, non Porphyrius Apoſtata, &c.* Abbas Joh. Trithemius epiſt. 26. ad Kymolanum, quæ digna eſt ut ab omnibus Theologiæ ſtudioſis ſeriò legatur.

quo

quo parciùs teruntur *Script. Sacræ* quàm *Johnſonius* & *Arcadia*. Quantum ad vos (ſpei aſſurgentis *Adoleſcentuli*) gratulor vobis præſentem *Academiæ* faciem, & faciliores quàm qui olim fuerunt ad doctrinam juxtà & pietatem acceſſus; neque minùs doleo, vix eſſe cur ſperetis diuturna forè iſtiuſmodi adminicula. Præſentem igitur opportunitatem mordicùs arripite. *Reſerate* precibus diem, *obſerate* noctem, præſertim qui *Theologiæ* navatis operam. Optimus ille Theologus eſt evaſurus, qui *proſtratus ſtudet*. Commendo vobis *Logicam* Pauli, (demonſtrationem Spiritûs) *Ethicam* Moſis & Solomonis, *Phyſica* Geneſeos & Jobi, *Rhetoricam Iſaiæ*, *Mathematica* Ezechielis & Apocalypſeos, *Metaphyſica* Johannis, *Poëtica* Davidis, *Hiſtoriča* denique totius Scripturæ. Affectent alii Artium humanarum gloriam: vobis pluris ſit unius *Chriſti* cognitionem lucrari, quàm omnia *Tullii*, *Ariſtotelis*, *Galeni*, *Juſtiniani* placita calluiſſe. Ambiant alii marcidas Diſciplinarum *laureolas*, & inania ſcholarum honeſtamenta: appetenda ſunt vobis *dona potiora*, ambiendæ *coronæ ſplendidiores*; ex debellato Satanâ *triumphalis*, ex obſidione tentationum levatâ *obſidionalis*, ex deſtructis peccati munimentis *vallaris*, ex cœleſtis Hieroſolymæ mœnibus ſuperatis, *muralis*, ex liberatis aliorum animabus *civica*, ex veſtris ipſorum ſervatis *ſyderea*. Quas omnes ſuâ ipſius manu contextas reddat emeritis Dominus *juſtus ille judex*, & æquiſſimus Agonotheta in *die retributionum*, pro meritis *Principis* illius *ſalutis noſtræ*, qui pro peccatis noſtris *ſpineam* geſtavit, unigeniti filii ſui unicè dilecti, Jeſu Chriſti *Domini benedicti in ſæcula*. Amen.

AMBITIO SACRA.

Concio Secunda.

1 Cor. 12. 31.

Ζηλῶτε δὲ τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα. Καὶ ἔτι καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν ὑμῖν δείκνυμι.

Sed ambite dona potiora. Et porrò iter ad excellentiam vobis indicabo.

Absolutam concione superiori donorum excellentiam tractavimus. Restant *comparatæ* considerationes duæ, quarum

1ª. *Dona* invicem collata, invicem committet, de primatu decertantia.

2ª. *Gratiæ* specialis præstantiam exhibebit omnibus cujuscunque ordinis Donis meritò anteferendæ.

Quibus utique pertractandis præsentis horulæ opellam, modò præsentem habuero Spiritûs Divini influxum (*) & patientem benevolentiæ vestræ concursum, lubentissimè devoveo.

Suppositio proinde (quod in superioribus fusiùs traditum)

(*) ἔστι διαφορὰ καὶ τῶν χαρισμάτων ἄλλα ἄλλου μᾶλλον χαρίσματος πρὸς διάκρισιν τοῦ βελτίονος. Naz. Orat. 44.

Donorum nomine insigniri, *quæcunque citra gratiam efficacem & salvificam, electis æquè ac reprobis communicat spiritus Dei*; Ea omnia (quantum ad præsens institutum) *tribus* hisce classibus distribuemus. Quatenus scil: disponunt ad

1. *Officium*,
2. *Consortium*,
3. *Statum*.

Cujus distinctionis præmissâ primùm brevi explicatione, ad primam *comparationem* descendemus; quæ est *donorum* cum *donis*, ut ambienti τὰ χαείσματα innotescat quænam sint τὰ χρείττονα.

I. [1]. Ad *officium* disponunt dona { *gubernandi* / *prophetandi*.

In utrisq; rursus,

(1.) *Exordinarium* aliquid exhibuerunt superiora sæcula. Neque enim vulgare quippiam (quicquid ogganniant Anabaptismi & Enthusiasmi propugnatores) suspicari fas est in Spiritu illo *gubernationis*, qui in Phineha, Gedeone, Sampsone, cæterisque *Judicibus*, Saule, Davide, Solomone, *Regibus*, à Deo speciali vocatione separatis, antiquitùs elucebat: aut in illo *Prophetiæ*, Mosi, Eliæ, Elisæo, Baptistæ, cæterisque quamplurimis *Christi præcursoribus*; Apostolis, Evangelistis, Prophetis, nec non & Presbyteris quibusdam extraordinariis *Ecclesiæ* nascentis *plantatoribus* peculiari. Quippe quibus vel præsentiâ miraculis comprobatâ, vel testimoniis satis claris, (iisque non sibiipsis tantùm sed & aliis quamplurimis fidei & pietatis minimè suspectæ luculenter exhibitis) dona illa, modo, facultatis humanæ captum & rationalis naturæ vires superante, fuisse submministrata, testatum fecit Deus ipse suffragneus: quibus (ut plurimùm) *Christi Mediatoris typis*, sublimiores quasdam imprimi & augustiores notas quàm quæ hominibus competerent, congruum erat & consentaneum: quibus denique Ecclesiarum de novo *fundatoribus*, aut collapsarum rudera & ruinas *restituentibus* opus erat spiritu excellentiori ne humanis (quod cavendum erat) erroribus initia maximi operis infirmarent (*a*) invidiæ tantorum conatuum comiti individuo subjacerent, aut denique difficultatum subinde emergentium molibus fracti succumberent. (2.) *Ordinaria*

(*a*) *Quare nunc non fit ut habeant homines homines gratiam Dei*, (viz. miraculorum, uti patet ex scopo loci) Resp. *Inter initia fieri oportuit ut fundamenta fidei acciperent firmitatem. Nunc autem non opus est.* Ambr. in locum.

(2.) *Ordinaria* charismatum genera, quotidiè parturit Ecclesiæ & Reipub: communis experientia. Quibus annumerantur Artium & linguarum accuratior cognitio, felicior inventio, sanius judicium, & promptior ex datis principiis argumentandi facultas, tersior oratio, linguæ gestúsque facilitate adjuta; omnia denique illa (quotquot sint) quæ communi institutionis adminiculo, quasi ex ipsis indolis innatæ fontibus, & ingenii naturalis igniculis, eliciuntur. Qualia in communi prophetiæ & politiæ usu quotidie exhibent ordinarii *Ecclesiæ pastores*, & *Reipublicæ primores*.

[2.] *Ad consortium & communionem* alia ordinantur, & omnia ejusdem officia præstanda, modo (quantum ad externam speciem, & quicquid in iis est materiale) satis apto & concinno. Sive officia ista *Deum* respiciant, sive *fratres Christianos*. II.

Illis, quæ *Deum* habent pro objecto, subserviunt dona concione superiori enumerata; *lumen* irradians intellectum, *elenchus* cogens judicium, pungens conscientiam, *gustus* deniq; aliqualiter afficiens appetitum, excitans desideria quandoque ardentissima, nec non (pro diversâ objecti ratione) fletum uberrimum, gaudium effusissimum, cæteráque quamplurima effecta, veris & genuinis quæque à Spiritu regenerante proficiscuntur, minimè absimilia.

Istis, quæ ad *hominem* terminantur, præter illa modò enumerata, (quæ enim Dei gloriæ inserviunt, etiam hominum salutem sæpissimè promovent) conducunt, dona eloquii & audaciæ, aptiùs & ardentiùs precandi facultatem, promptiorem ad discursum & minùs impeditum conceptuum & orationis fluxum, cæteráque id genus officiorum socialium adjumenta, conferentia.

[3.] *Ad Statum* denique alia & conditionem vivendi peculiarem disponunt. Sive illa sint ornamenta *Moralia*, quale est *donum continentiæ* de quo Apostolus 1. *Cor*: 7. 7. nec non similia illa justitiæ, temperantiæ, fortitudinis, & cæterarum virtutum quæ philosophicè felicem perficiunt: sive *Physica*, in rerum naturalium & artificialium cognitione posita, quibus utique ad opera artis uniuscujusque perficienda instruuntur illarum Artium III.

tium profeſſores. Cujuſmodi erat olim extraordinaria illa *Aholiabi* & *Bezaleelis* peritia *Exod.*35.31. Eſtque ordinaria omnium operariorum in ſuis operibus ἀκείβεια. Neque enim hæc niſi ex communi omnium chariſmatum fonte ebulliunt,& proinde Donis ſunt annumeranda. *Ego* (inquit Dominus) *creavi fabrum ſufflantem ignem prunarum, & proferentem inſtrumentum ad opus ſuum.*Iſ: 54. 16.Etalibi.*Arator,ſive ſulcat,& occat terram ſive æquat ſuperficiem terræ, ſive ſpargat melanthium cyminúmque triticúmque, etiam hoc proficiſcitur à Jehovâ exercituum,* cap:28.24.ad 29.

Theſis II. De iſtis omnibus inſtituitur *ſecunda Theſis. Dona quoad excellentiam ſuſcipere magis & minus.* Cui levem tantùm manum adhibebimus,in *tertiâ* diutiùs commoraturi.

Lib. de Sp.S. Et reverà licèt (aſſerente Ambroſio)ſit *unum donorum omnium flumen,multi tamen ſunt meatus.* Nec ſunt meatus iſti omninò æquales. Quanta eſt enim in ſanguine & proſapiâ, quanta in viribus,& re familiari,quanta in faciebus, & ſtudiis, quanta in habitu & ſtaturâ,tanta etiam eſt in Donis differentia & diſparitas. Quibus tamen regulis determinandum ſit de eorundem ad invicem præſtantiâ,ultra præſentis capituli limites non eſt opus ut inquiramus.Adhibeatur itaque *Apoſtolica Allegoria.* Supponamus inter *membra corporis naturalis* oriri de dignitate altercationem. Admittatur *Arbitra* omnium ex æquo Domina, *Ratio*: Eam utique hoc modo pronuntiaturam extra controverſiam poni videtur. Illud intra membra præſtantiſſimum, cujus uſus univerſalior,& jactura funeſtior: Proinde, cùm neque pari beneficio conſerventur,neque pari diſpendio amittantur, venuſtas faciei & calor cordis,lingua & caput, integritas digitorum & inteſtinorum ἀναγκαία, proculdubiò hæc illis meritò ſunt præferenda:

Pari ratione de iis, quæ *corpori Politico* inſerviunt, ſtatuendum. Neque enim æquè neceſſariò requiritur ad bonum civitatis aut reipublicæ politicum artis fabrilis & textoriæ recta ordinatio,ac legum & magiſtratuum ſana conſtitutio. Neque pari honore dignamur *Patremfamiliâs*, & *Patrem Patriæ.* Cúmque *Eccleſia* ſit corpus iſtiuſmodi politicum, & organicum

cum, ſacris *membrorum junctturis nerviſque compactum*, parem etiam rationem admittat neceſſe eſt membrorum ejus collatio. Neque enim (quamvis illud agat intenſiſſimè) ſupponi debet æquè profuturum Eccleſiæ, qui privatâ conſulendi, hortandi, inſtruendi, conſolandi facultate polleat, cum publico Eccleſiæ Paſtore, dotibus ad officium requiſitis ſufficienter inſtructo, & in frequenti muneris exercitio ſatis induſtrio. Unde (Apoſtolo jubente) major debetur miniſtris fidelibus & intenſior quàm aliis quibuſcunque dilectio & reverentia; utpote *qui omni gaudio ſunt excipiendi*: Ph. 2.30. *ſupra modum chari ducendi*, 1 Theſſ. 5.13. *duplici honore digni exiſtimandi*, 1 Tim. 5.17. idque (ſicut alibi loquitur) *propter opus ipſorum*, quod eſt *opus præclarum*, 1 Tim. 3. 1. quique, [*quantum ad Eccleſiam*,] audiunt *Paſtores, videntes, ſpeculatores, Judices, Patres*: verbo denique, *currus Iſraelis, & equites ejus*. Ezek. 34. 1, 2, 3. 1 Sam. 9. 9. Ezek. 33.2. 20. 4. 1 Cor. 4. 15. 2 Reg. 13. 14. [*quantum ad Deum*,] ὑπηρέται Χριστοῦ, & οἰκονόμοι Θεοῦ, 1 Cor. 4. 1. πρεσβεύοντες ὑπὲρ Χριστοῦ, 2 Cor. 5. 20. ὀσμὴ, Ἄγγελοι, Apoc. 1. 20. δόξα Χριστοῦ 2 Cor. 8. 23. quæ omnia de nullis aliis corporis membris poſſunt affirmari.

Ex quibus omnibus abunde liquet, excellentiam chariſmatum ex *publico eorum uſu*, & exinde emergente Eccleſiæ totius emolumento, eſſe determinandam. Τὸ γὰρ ἐν παντὶ χαρᾷ ἢ ἐν τοῖς πλείστοις χρησιμώτερον, αἱρετώτερον. & τὸ τοῖς ἅπασι, ἢ τοῖς τὰ πλείω χρήσιμον, αἱρετώτερον αὖ εἶη τοῦ μὴ ὁμοίως. inquit Philoſophus.* * L. 3. Top.

Quod & ulteriùs colligi poteſt ex ſerie membrorum principalium, prout ab Apoſtolo enumerantur, *v.* 28. quibus, prout majoris minoriſve uſus in Eccleſiâ fuerant, ordines ſui & ſtationes aſſignantur. *Poſuit*, inquit, *in Eccleſiâ Deus, primùm Apoſtolos, deinde Prophetas, &c. Primum* locum obtinent *extraordinaria officia*; ſecundum, *ordinaria magis principalia*, Doctores; tertium, *extraordinaria chariſmata*, δυνάμεις & χαρίσματα ἰαμάτων; quartum, *officia ordinaria minùs principalia*, ἀντιλήψεις, κυβερνήσεις; quintò denique & ultimò enumerantur γένη γλωσσῶν, quia (quamlibèt linguæ, æquè ac alia quælibet dona extraordinaria, *ſigna* eſſent quibus convincerentur increduli

creduli & contradicentes de divina Evangelii authoritate) *mera* tamen erant *ſigna*, neque effectum æquè publici emolumenti habuerunt, ac cætera ſuperiùs enumerata. Unde in initio ſequentis capitis, ubi ex profeſſo inſtituitur comparatio prophetiæ & doni linguarum, prælatæ prophetiæ rationem reddit Apoſtolus v. 3. & 4. quòd cùm is *qui linguis loquitur, Deo tantùm loquatur & ſibi*, & Eccleſiæ proinde parùm utilis reddatur; *propheta* (è contrariò) *hominibus loquatur* λαλεῖ ἀνθρώποις εἰς οἰκοδομὴν καὶ παράκλησιν καὶ παραμυθίαν. Quin fortaſſis etiam in iſtum locum ex profeſſo rejecit iſtud χάρισμα, quò Corinthios de eo maximè ſuperbientes, eâ potiſſimùm parte ſugillaret, unde anſam arripuit vana ipſorum jactantia, & futilis æmulatio.

Applicatio hortatoria.

Hortandi proinde à me eſtis, Viri, Patres, & Fratres, ut ſecundùm dictam donorum differentiam, ſtudia veſtra, operas veſtras, æmulationem veſtram collocetis. Neſint apud vos *ultima prima*, & *prima* viciſſim *ultima*. Venia ſit homunculo, aliàs omnium minimo, ſéque infra omnes cujuſcunque ordinis Theologos meritò æſtimanti, (hujuſce tamen loci majeſtate, ejúſque cujus partes obeundas ſuſcepit, (hoc eſt, ipſius Chriſti) repræſentatione aliquatenùs confirmato) ſi audaciùs paulò quàm pro ætatis, eruditionis aut experientiæ modulo, ſeſe efferat juvenilis fervor, cui tamen nonnihil zeli commiſceri, perſuaſiſſimum habeo. Liceat quibuſdam è vobis, κατὰ πρόσωπον αὐτῷ ἀντιστῆναι, (quod olim ipſi Petro Paulus, Gal. 2. 11.) quippe *meritò reprehendendi* eſtis. Vereor, fratres, ne reſurgat inter nos frivola *ſciolorum* progenies, in vitia *anteceſſorum* quos coram nobis Dominus, tanquam *ſalem infatuatum*, *in ſterquilinium* projecit, ſucceſſura. Unde enim evenit, quòd poſito ſeverioris diſciplinæ ſupercilio, majeſtate vultus cincinnis & ceruſſâ diminutâ, ornatu denique tanquam ad luxum & blanditias compoſito, quaſi ad quæſtum meretricium proſtituitur *Theologia*? Meritò diſplicet, quòd doctrinâ Chriſti *crucifixi*, ſtylo non *crucifixo**, hoc eſt turgido & ad pompam accommodatiori, pertractamus; quòd *demonſtrationem Spiritus* in demonſtrationem *Artis*, *ſtultitiam prædicationis* in *ſapientiam ſæculi*, claram divinæ eruditionis *lucem* in φαντασιώδη ὄγκων φῶτος (ſicuti Juſtinus Matyr *) *ſubſtantiam* cœleſtis

* *Cave, imitator fias eorum, qui non Chriſtum prædicant modo Chriſtiano, qui vel gloriæ quæ-runt ab hominibus, vel commodum rei temporalis.* Joh. Abb. Trithem. Epiſtolâ. 26.

* Exhort. ad Græc.

lestis doctrinæ εἰς σκίας λόγων (uti Clem: Alexand:) (*a*) *potentiam* denique *Dei* (uti à Paulo audit evangelii pura prædicatio, 1. Cor: 1.2.4.) in *prætumidam loquendi vanitatem* (quæ à Petro exploditur 2. Pet. 2.18.) frequentissimè transmutamus: (*b*)

Obtestor vos fratres, nolite diutiùs vanam adeo & futilem doctrinæ umbram, larvam & nubem amplexari. Nolite ulteriùs levem & evanidam illius *quæ nullam adfert utilitatem, sed auditores potiùs subvertit* (2. Tim: 2.14.) λογοσοφίας & λογομαχίας gloriam insectari. (*c*) Ad sana potiùs & seria studia, animos vestros, labores vestros, industriam vestram convertite. Bene est quòd Theologiæ (ut plurimùm,) Artium *Magistræ*, scientiarum *Reginæ*, vos ipsos mancipatis famulitio. Cavete tamen ne tam *notionalem* illam & *theoreticam Scholasticorum*, (plenam ἀντιθέσεων ψευδωνύμου γνώσεως, sicuti optimè describitur ab Apostolo, 1. Tim. 6.20.) in omnis barbariei & solœcismorum solitudine & sordibus enatam & enutritam, inter spinosarum quæstionum tribulos & dumeta laceram & discerptam, inter politioris denique literaturæ ruinas & rudera semisepultam miserè depereatis; quàm *practicam* & *experimentalem*, virtutum semina jacientem, vitiorum radices evellentem, afficientem corda, incendentem affectus, subigentem conscientias. Dum abscondita alii artium mysteria, & inaccessos scientiarum recessus curiosâ perscrutantur indagine; studete vos maximè ut ex *doctrinâ vestrâ perpendant* auditores, *quænam sit intelligentia vestra in mysterio Christi*. Eph. 3 4. ut *declaratione veritatis commendetis vos ipsos apud omnem conscientiam hominum in conspectu Dei*. 2. Cor: 4.2. (*d*) Sciant *ignorantes* vim verbi naturæ tenebras illustrantis; sentiant *peccantes* virtutem sermonis cupiditates resecantis; cognoscant *opponentes* efficaciam prædicationis corda subigentis; percipiant *pœnitentes* oleum Evangelii & balsama conscientiarum vulnera sanantis; experiantur *rebelles & obdurati* malleum Legis cor petrosum conterentis; sint deniq; *omnibus arma militiæ vestræ divinitùs valida ad destruendas munitiones, ad evertendas ratiocinationes, ad prosternendas sublimitates, ad captivandas cogitationes, ad vindicandam denique omnem contumaciam* quâ seipsam efferat adversus cognitionem Dei & obedientiam fidei

(*a*) Strom. l. 6.

(*b*) *Non id facere adnisi sunt ut salubres & salutiferi, sed ut Scholastici & diserti haberentur.* Salv. de quibusdã scriptoribus, in præf.

(*c*) Λέγειν πιθανῶς καὶ πιστευτικῶς ὅστιν ἴδιον τῶν τὴν ἀλήθειαν κλέπτειν εὐθελόντων. Just. Martyr. exhortat. ad Græc.

(*d*) *Nos autem rerum magis quàm verborum amatores utilia potiùs quàm plausibilia sectamur, neque id quærimus ut in nobis inania sæculorum ornamenta, sed ut salubria rerum emolumenta laudentur. In scriptiunculis nostris non lenocinia esse volumus sed remedia, & non tam otiosorum auribus placeant, quàm ægrotorum mentibus prosint.* Salvian. Præfat.

misella impotentis creaturæ protervia, 1. Cor: 10. 4. *Sit vivus in ore vestro sermo Dei, & penetrantior quovis gladio ancipiti, & pertingat usque ad divisionem animæ simul & spiritûs, compagúmq; & medullarum, & dijudicet cogitationes & conceptus cordis*; sicuti elegantissimè Author Epistolæ ad Hebræos cap: 4. 12. Theologiam *notionalem* & *speculativam* profitemini in *disputatione*, *experimentalem* & *practicam* profiteamini & præferatis in *conversatione*, ut qui *Doctores Angelici* auditis inter homines, Doctores, nec non *Ductores Evangelici* appareatis coram Deo; spiritualem vestem rectè contexentes ἐὰν τῷ διδακτικῷ λόγῳ ἡ ἀκόλουθος ἐπιπλέκηται πράξις sicut optimè *Basilius*. (*) Quod utiq; eò efficaciùs fiet, si *experti* alios instruatis, *quæq; vidistis oculis vestris, quæ spectâstis & manibus vestris contrectâstis de verbo vitæ* auditoribus annuncietis. 1. Ioh: 1. 1. Certò scientes, eò vos aptiores reddi ad cœlestis Doctrinæ *gustum* aliis impertiendum, quò pleniores ejusdem *calices* ipsi hauseritis.

(Πραξιτέλης ὃν ἔπαχε, διεκρίβωσεν Ἔρωτα,
Ἐξ ἰδίης ἕλκων Ἀρχέτυπον κραδίης)

Neque quippiam æquè dignum industriâ vestrâ studiorum genus, ac eximium illud quod docet *vos ipsos salvos facere, & eos qui vos audierint*: 1 Tim. 4. 16. Unde ansam arripio lubens ad ea quæ de *tertia Thesi* dicenda restant, transeundi. viz.

Thesis III. *Gratiam sanctificantem omnibus omnium Donorum communium excellentiis meritò anteponendam*; cui pertractandæ meipsum proximè accingo.

Quò efficaciùs institutum nostrum proseqnamur, instituenda est hîc iterum *comparatio*, quam utique absolvemus ope quorundam communium Argumentorum à *locis comparatis*, ex quibus præcipuos *canones* seligemus, & selectos statui presentis Theseos accommodabimus.

Donorum igitur, & *gratiarum* excellentia dijudicanda erit ex

1. *Fonte*, unde fluunt.
2. *Subjecto*, cui insunt.
3. *Naturâ*, quâ vestiuntur.
4. *Bono*, quod promovent.
5. *Fine*, in quem tendunt.

I. *Respectu*

* Homil. in Ps. 44/45

I. *Reſpectu fontis* triplex eſt differentia. I.

1. *Dona* plerunquè habent principium & ſcaturiginem in *naturâ*, cujus vires ſicuti minimè excedunt, ita ex ipſius ſcintillis, ſufflante educationis aurâ benigniori, (uti ſuperiùs dictum fuit) poſſunt excitari.

Gratias neceſſe eſt ſecundum ſe totas à cœlo pendere. Cùm vel ipſa rerum divinarum *cognitio* quæ intellectum plenâ luce, cor ineffabili dulcedine perfundit, quæque proinde efficaci illicio voluntatem trahit in obedientiam Chriſti, ſit *ſuprà* rationem rectam, *contra* rationem pravam, uti appoſitiſſimè obſervatur in *concione nervoſiſſimâ*, (*)non ita ita pridem apud vos habitâ, & denuò typis mandatâ, à *reverendiſſimo ſtadii hujuſce Academici Præſide & Præcurſore.*

(*) In concione cui titulus *Animalis homo*, quæ habita eſt à *Domino* Edv. Reynoldo S.T.D. & Acad. Pro-Cancellario.

2. *Dona* etiam *ab inferis* derivari poſſe, minimè abſonum eſt Fidei aût ſanæ rationi affirmare. Cùm enim *verſutiſſimus* iſte ſerpens, & in omni impoſturæ genere *verſatiſſimus*, poſſit præ intimâ ſuâ familiaritate facultates humanas facilè ad agendum excitare, & in agendo adjuvare; cúmque omnibus corporis membris abuti poſſit ad præſtigias ſuas aptiùs exequendas (*) (quod abundè patet in *Prophetis Achabi*, in *ancillâ Pythoniſſâ*, 1. R. 22. 22. Act. 16. 16. in ἐγγαστριμύθοις (omnium ſæculorum hiſtoriis decantatis;) cúmque ſatis evidenter appareat, dona quò majora ſunt, eò magis ipſius ſervitio accommodata eſſe, niſi gratiâ ad finem ſublimiorem determinentur; probabile videtur, eximia illa quæ in ſeductoribus quotidiè ſpectantur, dona, (eâque quàm pro inſtitutionis, ſocietatis aut conditionis ſuæ ratione, ſplendidiora) ipſo intus agente, ſæpiſſimè miniſtrari, quò vanas & inſtabiles animas novitate & raritate rei ſupra modum perculſas, faciliùs poſſit irretire.

(*) *Multis exemplis Scriptura docet magnam eſſe Dæmonum vim tum in animâ tum in corpore: ſed planè diverſâ ratione. Nam animæ ſubſtantia cùm ſit merè ſpiritualis, nullam vim Scriptura tribuit Diabolo in animam, præter eam quæ eſt ſimplicis ſuaſionis, i. e. præter eam cui animus, niſi ſponte ſe prodat, poſſit obniti: ſed in corpora noſtra Scriptura tribuit eam vim Satanæ cui propter paſſibilitatem corporum reſiſti nullâ ratione poſſit — Nec eſt tam intrinſecum commercium Angeli cum animâ quàm Dæmonis cum animâ. Cujus rei hæc eſt ratio, quòd Deus ſanctificationis noſtræ laudem vult in ſolidum tribui Spiritui Sancto, peccatum autem & mortem patitur Diaboli & inconſtantiæ noſtræ eſſe propria.* Camero ad Math. 17. 14.

Gratiam verò neque *poteſt* Satanas, neque ſi poſſet credendus

eſt *velle* communicare, quia ſupponi non poteſt *homicidam iſtum ab initio* (*a*) cujuſpiam ſalutem niſi nolenter,& per accidens eſſe provecturum.

(*a*)Joh.8.44.

3. *Suppoſito* denique,omnia quæ uſpiam ſunt χαρίσματα ἀ *Spiritu ſancto* proficiſci (ſicuti reverâ omnia quoad *habitum* proficiſci neceſſe eſt, neque enim poteſt Satanas ultra *actum* communicare) non tamen *eodem modo* ab ipſo pendent, quo gratia renovans & ſanctificans. *Dona* enim communi influxu,& naturalibus mediis cooperando;*gratiam* ſpeciali afflatu,&ſupra mediorum naturaliũ capacitatem ſolitariè operando infundit. *Dona* quaſi per generationem ſive motũ *phyſicum*,ex præexiſtente materiâ; *gratias* per creationem, & actum *hyperphyſicum* ex nihilo producit. Quiſquis enim in Chriſto, eſt καινὴ κτίσις, aſſerente *Apoſtolo*,2 Cor. 5. 17. & quicunque Spiritu Sancto donantur,transformantur δι' ἀνάκτισιν ἢ ἀναγέννησιν,uti *Clemens Alexandrinus*.(*b*)

(*b*)Clem. Alex Str.lib.4.

II. *Reſpectu ſubjecti cui inſunt*,adhuc longiùs diſtant. *Dona communia in hypocritis & perituris* reperiuntur.(*c*)Si conſulatur Scriptura ſacra,Ecce Saulem,Cajapham,*Prophetantes*; Judam, Demam,*prædicantes*; Herodem,Tertullum, *rhetoricantes*; & inter Corinthios noſtros, Pſeudo-Apoſtolos, *Græcam ſapientiam* & ὑπεροχὴν λόγου, *oſtentantes*. Et (quantum ad *Dona ſuperioris ordinis*) crucifigentes iterum filium Dei, & prolabentes ultra capacitatem renovationis,*illuminatos fuiſſe,factóſque Spiritus ſancti participes,guſtâſſe etiam bonum verbum Dei,& virtutes ſæculi venturi*,Heb.6.4,5,6.diſertè affirmatur.

(*c*) *Alia dona ſunt quæ nullis contingunt qui iidem non ſerventur, alia quæ etiam illis obtingunt qui non ſervantur*,Joh.Camero præ. de Eccleſ.cap. de G.atiâ.

Dona ſanctificantia cùm ſint ſummæ virtutis & efficaciæ,hominem totum,tanquam *materiam forma*, tranſmutant & effingunt ad Dei imaginem. Et proinde non niſi in *electis & ſervatis* reperiuntur. Inde fidem juſtificantem *fidem electorum Dei*, Tit.1.1. & juſtitiam iſtâ fide apprehenſam, *juſtitiam ſanctorum*,Apoc:19.8.appellat Sp.ſanctus. Inde *amantes, Deo genitos*, 1.Joh:4.7.Inde *beatos mites,pauperes ſpiritu,lugentes,eſurientes juſtitiam,miſericordes*, Mat.5. 3,4,5,6.&c. pronunciat *ipſe*, de quo veriùs quàm de *Balaamo* dici poteſt, *benedictos fore quibus benedixerit & maledictos quibus maledixerit*.(*d*)Proinde hîc etiã

(*d*)Num.22.6.

(diſtante

(dictante vel *Philosopho*) præponderat *gratia*. Τὸ γὰρ τοῖς κακοῖς ἀκοινωνητότερον, αἱρετώτερον. (*e*)

III. *Naturæ* quæ in utrisque est, comparatio, propositum ulteriùs confirmat. Natura enim *gratiæ* divinior. Inde *Petro* dicitur θεῖα φύσις, *Basilio*, τὸ θεοειδὲς τῆς ψυχῆς (*f*), & aliis *Græcis Patribus* (licèt ipsorum vocabulis sensu longe alieno abutantur blasphemi quamplurimi recentiorum temporum hæretici) eâ præditi Θεοὶ & θεϊζόμενοι appellãtur. *Charismata* verò obscuriùs, & quasi è longinquo Deum referunt, & eo ferè modo quo res inanimatæ ipsum repræsentant. *Hisce* repræsentatur Dei imago sicut hominis *facies aquâ* redditur, obscurè scilicet, & confusè; *gratiâ* verò *tanquam in speculo*, asserente magno illo Gentium Apostolo, *Nos*, inquit, *retectâ facie gloriam Domini* κατοπτριζόμενοι, *in eandem imaginem transformamur*. 2 Cor. 3. ult. Et, Τὸ ἐγγύτερον τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ τῷ ἀγαθῷ ὁμοιότερον βέλτιον, sicuti iterum (vel cœco rationis lumine) determinat rerum differentias, *Philosophus*. (*h*)

IV. *Effectis* etiam plurimùm distant. *Neque* enim *eodem modo denominant* subjecta quibus insunt. *Donis ornati* denominamur, *renati gratiâ*; donis *speciosi*, gratiâ *sancti*; donis *scholastici*, gratiâ *Christiani*. Neque enim dicimur *boni* propter linguam volubilem aut sagax ingenium, aut tenacem memoriam, aut judicii acumen; sed propter domitos affectus, sanatam voluntatem, purgatam conscientiam. Et proinde audiatur tertiùm *Aristoteles*. Εἰ τὸ μὲν (*inquit*) ποιεῖ ἐκεῖνο ᾧ ἂν παρῇ ἀγαθὸν, τὸ δὲ μὴ ποιεῖ, τὸ ποιοῦν αἱρετώτερον. (*i*)

Neque eadem operantur. *Dona* sæpissimè pessimis & fœdissimis Satanæ partubus obstetricantur. Dum homines invicem fiunt vulpes & lupi, *dum retijaculo venantur fratres*, *dum rapiunt pauperem afflictum trahendo eum in retia sua* Hab. 1.15. Ps: 10.9. rea sunt istorum malorum Dona *astutiæ & virium*; dum *illaqueant* seductores *imbelles & incautas mulierculas* 2 Tim: 3.6. dum fictis sermonibus animas *negotiantur*, 2. *Pet*: 2. 3. *inescant animas instabiles*, 14. *per blandiloquentiam & assentationem corda hominum minimè malorum seducunt*, Rom: 16. 18. conscia fiunt hujus peccati *dona eloquii & scientiæ*; cùm quis *seipsum*

(*e*) L. 3. Top.

III.

(*f*) Bas. in Psal. 33.

(*g*) Τούτῳ δυνατὸν τῷ τρόπῳ τὴν γνωστικὸν ἤδη γενέσθαι Θεόν, Cl. Alex. Str. 4. Et Bas. adver. Eun. l. 1.

(*h*) Ar. Top. lib. 3.

IV.

(*i*) Ibidem.

prædicat loco *Christi crucifixi*, trahitur in societatem culpæ, *donum prophetiæ.* inde Artes liberales hæreticum ornantes vocat *Lactantius mella venenum tegentia*(a) & sapientiã sæculi ἐμπόδισμα καὶ κώλυμα πρὸς τὴν εὐσέβειαν appellat *Chrysostomus:*(b) qui proinde rotundis verbis affirmare non veretur. Πονηρία τὴν τοῦ λέγειν προσλαβοῦσα ἐμπειρίαν πολλὰ πλείονα τῆς ἀμαθείας ἐργάζεται τὰ δεινά.(c)

(a) Lact. l. 5. c. 1. de Just.

(b) Chr. l. 3. ad pat. fidel.

(c) Ibidem.

Gratia verò non operatur malum; idque non nisi rarissimè, & per accidens, & præter agentis intentionem promovet: neq; unquam est causa *propria* & *univoca* mali effectûs. Inde etiam gratiæ præstantia stabilitur, *quartùm* statuente *Philosopho*, Ὦ τὸ ἔλαττον ἀκολουθεῖ κακὸν αἱρετώτερον.

V.

V. Neque magis *finibus* sunt æquales. Nam

[1] *Intentione*, multùm diversa,

1. *Conferuntur à Deo. Dona enim* (inquit *Bernardus*)(d) *nostris gratias nobis accepimus; his intus solidamur ad salutem, illis foris ornamur ad lucrum*; quæ proinde *proprio* bono possidentis inserviunt, sicut ista *alieno*. Jam tenente *quintùm* rationis trutinam *Philosopho*, Τὸ ἰδιώτερον κοινοτέρου αἱρετώτερον.(e)

(d) Serm. 18. in Cant.

2. *Desiderantur ab hominibus. Dona* enim appetuntur gratiâ finis ulterioris, etiam cùm maximè regulariter appetuntur: *Gratia* est *per se* finis. Neque obstat, quòd etiam gratia appetitur in ordine ad salutem. Quippe non differunt *specie* gratia & gloria, sed solo *gradu*. Gloria enim *patriæ* perficiet & consummabit gloriam *viæ*, Transformamur ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν(f) 2 Cor. 3. ult. Et Τὸ δι' αὐτὸ τοῦ δι' ἕτερον αἱρετώτερον, *sextùm* pronunciante *Aristotele.*

(e) L. 3. Top.

(f) Ibidem.

[2] *Executione* etiam differunt. *Dona* enim possunt perire cum perituro, imò sæpè pereunt ante pereuntem; sæpè debilitantur ægritudine corporis, mentis gravaminibus opprimuntur, comminuuntur desidiâ, amittuntur incuriâ, sepeliuntur luxuriâ, sæpissimè denique justo Dei judicio auferuntur (asserente Servatore, *omnem habentem exuberaturum, à non habente verò ablatum iri etiam quod habet*, Math. 25. 29.) *Gratia* verò constans est & inamissibilis, tuta & immersabilis possessio. Quod & *Ethnicis* videtur qnodammodò innotuisse, dum de inanibus istis gratiæ umbris (virtutibus sc. moralibus) pronunciarunt, eas esse τῶν ἐπι-

στημῶν

σημῶν μονιωτέρας. (*a*) Sed adſunt teſtes fide digniores. *Juſtitia n. liberat à morte*, teſte Solomone Prov. 10. 2. *gratia non ſinit peccare* (hoc eſt, ad mortem) *quia eſt ſemen Dei*, teſte Johanne 1. Joh: 3. 9. Et dona iſtiuſmodi ſanctificantia ſunt ἐχόμενα σωτηρίας aſſerente Authore Epiſtolæ ad Heb. cap. 6. 9. Et τὸ πολυχρονιώτερον καὶ βεβαιότερον ἀῤῥητότερον, *ultimò* pronunciat magnus ille *Philoſophorum coryphæus*. (*b*)

(*a*) Ariſt: 1. Eth.

(*b*) Top. l. 3. *Uſus I.*

Proinde, (ut ea quæ dicta ſunt, uſibus noſtris accommodemus) primò, opus eſt, ut *probemus noſmet ipſos*, ut dignoſcamus cujuſmodi ſint ea quibus nos tantopere recreamur, & efferimur χαρίσματα: utrùm *aurea* ſint an *deaurata*, mera *dona*, aut etiam ſpeciales *gratiæ* quibus aliis præcellimus. Quod eò ſtudioſiùs faciamus oportet, tum quia inter dona & gratiam magna eſt affinitas, tum quia quæ in nobis eſt φιλαυτία facilè imponit inquirentibus. Inde in *die Judicii* futuri ſunt qui donis *prophetiæ & miraculorum* innitentur, ac ſi eſſent veræ gratiæ. *Domine* (inquient) *aperi nobis*. At unde audax iſta & familiaris pulſatio? *Nonne per nomen tuum prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus?* Matth. 7. 22, *Securi ſcilicet, quia Dei operatio in illis cernebatur, & negligentes erga ſe fuerunt*, dicit *Ambroſius*. (*c*)

(*c*) Ambr. *in locum.*

Paucula proinde κεφάλαια, ne nos ipſos ſimiliter decipiamus, non pigebit adjungere.

1. *Ortu* diſtinguuntur. Neque enim pari facilitate procreantur χάρισες & χαρίσματα. *Dona* aut momento infunduntur (ſi quæ tamen hodie ſic conferuntur) aut naturæ ipſi inſita, corporis temperamento adjuvantur, educatione efformantur, uſu & exercitio maturantur. Et proinde, licèt in ipſorum productione aliqualis mentis labor exeratur, operatur tamen anima modo utplurimùm naturæ conveniente, & uſitato. Nulli hîc cordis dolores ſupernaturales, nullæ nauſeæ & appetentiæ concipientis, nulla tormina parturientis.

Gratiam, nullo omnino naturæ auxilio, & merâ (quodammodò ſicut ipſe Servator) *Spiritûs Sancti inumbratione*, conceptam, mille concomitantur ægritudines; *nauſea, & faſtidium ſui*: Eze: 36. 31. *inſatiabilis appetentia Dei*, Pſal. 84. 3. 119. 20. *Pallor faciei qualis ex morboregio, & dolor lumborum*. Jer: 30. 6.

Compunctio

Compunctio cordis, Act. 2. 37. & omnes denique ὠδῖνες parturientis; utpote maximè *contranitente* quæ in aliis partubus auxiliatur, corruptâ & depravatâ hominis *naturâ*. Audite Davidem. *Circumdederunt me* (inquit) *dolores mortis, angores ſepulchri obvenerunt mihi, anguſtiam & mœrorem inveni.* Pſ. 116. 3. *Non eſt pax in oſſibus meis, ilia plena ſunt vilitate, ut non ſit ulla integritas in carne meâ.* Pſ: 38. à 3. ad 10.

* —*Quis enim virtutem amplectitur ipſam, Præmia ſi tollas?* —

2. *Educatione* diſcriminantur: *Dona* oſtentatione & plauſu nutriuntur.* *Honoribus ali artes*, & ipſas virtutes morales propter præmia appeti quotuſquiſque non aſſeruit *Philoſophorum*? *Gratia* ſannis & ſibilis impinguatur, cruce & perſecutionibus ſaginatur, palmarum more, ex appenſis ponderibus erectior evadit, cujuſlibet oppoſitionis antiperiſtaſi, veluti calor ignis ambiente frigore, intenditur. Proinde chariſmatum veſtrorum *pabulum* attendite, ſi eorum *naturam* cupiatis inveſtigare.

3. *Ingenio* differunt.

1. *Donis* homines ſæpiſſimè *ſuperbiunt*: ἡ χάρις φυσιοῖ 1 Cor: 8. 1. Mirũ eſt, quanto faſtu Phariſæi ex meris donis intumuerunt: *Appropinqua ad tuos, ne attingito me quia ſanctior ſum te*, inquit iſtius furfuris nequiſſimus homuncio, Iſ. 65. 5. Et, *Deus gratias ago tibi quòd non ſum ſicut reliqui homines, neq; ut iſte Publicanus* (vel inter precandum) crepat ſuperbus iſte juſtitiæ oſtentator, Lucæ 18. 11, 12.

Gratia verò quò ſublimior, eò humilior. *Quis* (inquit Apoſtolus nulli ſecundus, ſuâ tamen æſtimatione nulli æqualis, 1. Cor: 15. 9.) *Paulus, quis Apollos, niſi miniſtri?* 1 Cor: 3. 5. Miniſtros vocat quos infrà appellaturus eſt ζωεργὸς Θεῦ v. 9. ne ſcilicet iſto titulo quem ſtatim aſſumpturus eſt, ſuperbire videatur. Et alibi, *Laboravi pluſquam illi omnes; non ego tamen, ſed gratia Dei quæ mecum eſt*, 1 Cor: 15. 10. Adeo verum eſt, quod à *Baſilio* pronuntiatur. πρόκοπὴ ψυχῆς, πρόκοπὴ ταπεινώσεως, & ἐπίγνωσις θεότυπείας ἐπίγνωσις ταπεινώσεως καὶ πραότητος.

Baſil. de Abnegat. rerum.

2. *Dona* invidiam & pravam æmulationem ſæpiſſimè excitant, dum unuſquiſque quicquid alienæ laudi adjicitur ſuæ detractum autumat. *Pſeudo-Apoſtolorum Dona* quantam ubique vero Apoſtolo moleſtiam exhibuerunt, in Paulinis Epiſtolis leviſſimè verſato abundè innoteſcit. *Gratia*

Gratia alienis æquè ac ſuis, congaudet. *Gaudium meum completum eſt. Ipſum oportet creſcere, me verò minui,* inquit Johannes Baptiſta, cui tamen facillimum fuiſſet (tunc temporis) palmam Chriſto præreptam, ſibi vendicâſſe, Joh: 3.28,29,30. Et licèt Pſeudo-Apoſtoli apud Philippenſes *Chriſtum prædicarent per contentionem, attamen quovis modo annunciari Chriſtum, gaudeo, atque etiamnum gaudebo,* inquit Apoſtolus, Phil: 1.16,17,18. Cúmque malè ferret Jehoſhuah tot ſimul in caſtris prophetantes *Seniores,* veritus ſcilicet, ne ex tantâ Prophetarum multitudine eclipſin pateretur Moſis gloria; quàm gravitèr increpat nimiæ ſollicitudinis & æmulationis vitium, *vir* (alioqui) *omnium qui uſpiam in terrâ fuerunt, manſuetiſſimus! An invides tu meâ causâ? Atqui utinam totus populus Jehovæ eſſent Prophetæ, indente Jehovâ Spiritum ſuum illis.* Num: 11.29. Num. 12.3.

3. *Dona* ſæpiſſimè ſuperbum mediorum ad nutritionem ordinatorum, (niſi ea ad palati male-affecti guſtum, & *aurium prurientium* captum contemperentur) contemptum producunt. Unde Corinthiis *nullo ſpirituali dono* (teſtante Apoſtolo) *deſtitutis,* verbum Dei purum & genuinum *ſtultitia prædicationis,* & ipſius Pauli *præſentia infirma* erat, & *ſermo nihili,* 2 Cor: 10.10. Inde Atticæ ſuadæ profeſſores, *genio* verè *Academico,* τί ἂν θέλοι (inquiunt) ὁ σπερμολόγος οὗτος; Act: 17.18. *Gratia* verò purum putum verbum Dei, nativo vultu decorum, nativis radiis ſplendidum, ſapore denique nativo mellitum exiſtimat; & eâ imbuti ὡς ἀρτιγέννητα βρέφη *lac ſermonis ſincerum expetunt ut per illud augeantur,* teſtante Apoſtolo *Petro,* 1 Pet: 2.2. 2 Tim. 4. 3. 1 Cor. 1. 7. (*) *Adeo nihil verũ putant homines niſi quod auditu ſuave eſt, nihil credibile niſi quod poteſt incutere voluptatem: nemo rẽ veritate ponderat, ſed ornatu.* Lact. l. 5. c. 1. de juſtitiâ. Perſ. Sat.

4. *Dona* hominibus maximè & in propatulo elucent, juxta illud Poetæ —*Scire tuum nihil eſt niſi te ſcire hoc ſciat alter.* Phariſæus ſicubi *precatur,* illud agere ſatagit in *conventibus, & in angulis platearum;* ſi jejunat, *tetricum induit vultum, & deformat faciem;* ſi præſtat eleemoſynam, *curat buccinâ cani coram ipſo,* & omnia hæc, ut *gloriam conſequatur apud homines,* notante Servatore, Math 6.2.5. 16.

Gratia Deo, & in receſſu, in *conclavi,* & *clauſo oſtio* effulget maximè, ſecundum rectius præſcriptum ejuſdem Servatoris v. 6. ejuſdem capitis. Gratia eſt adamas in tenebris ſcintillans: ejuſ-

que *laus* (ſicut illa *veri Judæi*) *non eſt ex hominibus, ſed ex Deo*, Rom:2.ult.

(*) *Sapientia Philoſophorum, ut plurimùm efficiat, non excindit vitia, ſed abſcondit; tanta divinæ ſapientiæ vis eſt, ut in hominis pectus infuſa, matrem delictorũ ſtultitiam uno ſemel ictu ex. pellat.* Lactan. de falſ. ſap. cap. 26.

5. *Dona* deniq; vitiorum contubernio & ſodalitio aut gaudent, aut ſaltem acquieſcunt: quin & ipſis aliquando, uti ſuperiùs dictum fuit, inſerviunt & famulantur, libidinis, avaritiæ, invidiæ, ambitionis, tyrannidis mancipia. Verbulo expediam. Ex *donis & vitiis* miſcetur in reprobis & non-renatis omnia. (*) *Gratia* verò *cor purificat*, Act:5.19, *emundat conſcientiam*, Heb:9.14. *mortificat membra terreſtria*, Col:3.5. *crucifigit carnem cum affectionibus & cupiditatibus*, Gal: 5.24. aſpirat denique ad ipſam divinam & impeccabilem puritatem, dum *caſtos* conſervat *ut ipſe Deus caſtus eſt*, 1.Joh:3.3. & perpetuò dolet & gravatur de reliquiis iſtius *corporis mortis*, Rom.7.24.

Uſus. II.

Monendi (ſecundò) à me eſtis, fratres, ut patienter feratis aliqualem donorum defectum. Si tibi (frater) quiſquis es, gratiam largitus eſt Dominus, nolito invidere alienis chariſmatum excellentiis. *Si enim poſſidentibus ſanctificantur*, per communionem corporis tuis uſibus inſerviunt, & proinde *tibi* ſunt, licèt non ſint *tua*. Imò proinde *tua* ſunt, inferente *Auguſtino*. *Tu congaude illi cui Deus aliquam gratiam dedit, & potes in illo quod non potes. Ille habet fortè virginitatem, ama illum & tua eſt. Iterũ tu habes majorem patientiam, diligat te, & ſua eſt. Hoc ideo quia in illo tu es: per proprietatẽ enim non es tu, per charitatẽ tu es.* Aug. Hom. 75. Sin verò *non ſanctificantur*, eſt cur ipſe potiùs invideat tibi. Dum illius dona æmularis, ea conculcas, quibus illo es præſtantior. Exultandum potius tibi eſt cum Davide, *Jehova portio prædii mei & poculi mei. Funiculi acciderunt mihi in locis amæniſſimis, etiam poſſeſſio eſt amæniſſima quæ obvenit mihi*, Pſ:16.5.6. *Monendi* proinde eſtis, ne vos minùs *gratos* reddi *Deo* judicetis, ob defectum chariſmatum. Ea enim maximè in nobis amat Deus, quibus ipſi maximè aſſimilamur. Pretioſior eſt vera margarita, quamlibèt conculcetur in *luto*, quàm falſa quamlibèt collocetur in *auro*. *Monendi* denique ne vos gratiâ deſtitutos pronuncietis, quia donis deſtituimini. Gratia enim ſublimioris, & excellentioris eſt naturæ, quàm ut à rebus ordinis inferioris in eſſe ſuo pendeat

deat. *Noli igitur dicere; Ego ſi chriſtianus eſſem, utiq; & ad Deum pertinerem, poſſem facere quod alius facit. Tale eſt ac ſi diceret auris, ego ſi ad corpus pertinerem poſſem videre ſolem & lunam & non illud habet tamen neq; auris neq; manus*, ſicuti loquitur (alludens ad ratiocinationem Apoſtoli 15, 16. hujuſce capitis,) iterum Auguſtinus. (*)

(*) Aug. ib. ubi ſup.

3. Proinde tertio loco, *hortandi* à me eſtis fratres, ut miſsâ ſterili Donorum æmulatione, gratiam ſanctificantem maximè ambiatis. Nullibi uberior eſt donorum ſeges, quàm in Academiâ noſtrâ. Paradiſum habemus in quo *omnem arborem deſiderabilem plantavit Deus*, uti loquitur de terreno illo Moſes, Gen. 2.9. Cavete tamen ne germinante indies & fructum faciente *Arbore ſcientiæ*, ſola ſterileſcat *Arbor vitæ*. Cavete ne donis *Spiritûs* contenti, donum *Spiritum* nihili æſtimetis. Conſiderandum primò, cui bono, (ſi cum filiâ Calebi) *terram* habeatis ſatis *imœnam*, latifundia ſatis ampla, niſi habeatis etiam *ſcaturigines aquarum*, neque *inferiores* ſolummodò Artium, ſed & *ſuperiores* gratiæ? Si *civitatis veſtræ habitatio ſit* (quod de Jerichunte dicitur, 1 *Reg.* 2.19.) *bona, aquæ verò malæ, & in regione facientes abortum? ſi ſcientiam profundam immunda comitetur conſcientia* *? Liceat mihi quæſtionem Apoſtolicam aliquantulùm mutatam hîc uſurpare; Si gratiâ ſpeciali deſtituamini, *nunquid poſſunt* gratiæ communes *vos ſervare*?

Uſus III.

I. Jud. 1. 15.

* Dr. Stought. Felic. ult. ſæculi. Jac. 2.14.

Veniam indulgete obſecro, *zelo Dei* erga vos affecto, & proinde neceſſarium hoc argumentum acriùs urgenti. Vereor enim (neque prorſus ſine cauſâ vereor) *ne quo modo, ſicut ſerpens iſte Evam ſeduxit calliditate ſuâ, ita corruptæ cogitationes veſtræ deficiant à ſimplicitate Chriſti.* 2 Cor. 11.3. Cavete vobis, obſecro, ne vos ipſos offeratis ὁλοκαυτώματα profanæ, aut ſaltem inutili ſcientiæ. Perplacet, dona veſtra *coronæ* loco geſtari, modò memineritis interim tantum ipſius ſplendori, ponderi, & pretio defuturum, in quantum gratiarum *gemmis* non illuſtratur. Quibus utique ſublatis, prope eſt ut conqueramini cum lamentantibus, Thren. 4. 1. *Quomodo obſcuratur aurum, mutatur*

tatur inſigne aurum præſtantiſſimum! Filii Tzijonis nobiliſſimi quomodo reputantur pro vaſis teſtaceis operc manuum figuli! (a)

2. Deinde ulteriùs conſiderandum, quàm inconcinnum ſit, & incongruum habere *caput* in *cœlo*, & *cor* in *cœno*; *ſeraphica verba Satanicâ vitâ* confutare: ſi ſtrepentibus in ſcholis *Chriſtum* & *fidem* contrà obſtrepat vita *Antichriſtum* & *infidelitatem*, ſi *dicta factis deficientibus erubeſcant* (ſicuti (ſi benè memini) alicubi Auguſtinus;) ſi denique (*figmento Horatiano* minimè abſimiles) humanum caput monſtroſo corpori aſſuamus, aut cum *ſtatuâ Nebuchadnetzaris* aureo capiti inconcinnè aptemus luteos pedes. (*b*)

3. Penſiculatiùs cogitandum, quàm pernicioſum ſit ſtudii genus, neglectâ animarum & ſalutis curâ, vana iſthæc & inania proſequi doctrinæ inferioris nugamenta. Pigebit nos omnes, ſatis perſuaſum habeo, cum pretioſis iſtis mercibus æternùm perire, imò magis pigebit ipſarum gratiâ perire, (*c*) cùm *ſurgent indocti & rapient cœlum, & nos cum doctrinis noſtris mergemur in barathrum*, ſi in die ſupremo cum *Nerone* ejulabimus. *Quanti Artifices perimus!* Τί γένοιτ' ἂν ἡμῖν ἀγαθὸν ἀπὸ τῆς τάπων ἐμπειρίας πρὸς τὰ κρείττω λαμβάνειν τὸν πλοῦν; τί δὲ κακὸν ἀπὸ τῆς ἀπειρίας ἧττον μεγάλων ἡμῖν καταφρονῶν; inquit *Chryſoſtomus*. (*d*)

4. Conſiderandum etiam (quartò) zelum *intenſiſſimum* in iis quæ ad ſalutem requiruntur à Deo exigi, qui licèt *remiſſior* ſit, in terrenis aut minùs neceſſariis, maximè improbatur. Proinde maximè tutum eſt, in iis ambitionem noſtram collocare, in quibus nullum eſt ex intenſione nimiâ periculum.

In *Donis* appetendis exceſſu ſæpiſſimè peccatur: In *gratiæ* æmulatione, ejuſmodi eſt objectum, ut multò impenſiùs appeti mereatur, quàm humanis affectibus, utpote finitis & imperfectis, competat & conveniat.

5. Perpendendum denique, maximè utilem eſſe ambitionem ita collocatam, utpote, quæ maximo vobis emolumento

(a) Καὶ γὰρ ἐὰν τελείος τις ᾖ ἐν υἱοῖς ἀνθρώπων τῆς ἀπὸ τοῦ Θεοῦ σοφίας ἀπέσης εἰς ὑστέρην λογισθήσῃ, κἂν πλῆθος ᾖ τῶν πεπαιδευμένων ἑαυτῷ διαφημάτων ἐκ τῆς κόμης σοφίας, ἀλλ' οὐδὲν πνα γνώσεως συνειληφώς. Baſ. Hom. in Pſ. 48.

(*b*) —Ου καλῶς μιξόθρονοι, Λαῷ θεοέδροι, τῷ καλῷ διδάσκαλοι, Ψυχὰς τρέφειν λαχόντες ἐνδεᾶ τροφῇ, Αὐτοὶ δ' λιμῶ τοντες· ἰατροὶ παθῶν, Νεκροὶ βρύοντες ἀφθόνοις νοσήμασι. Τειχῶν ὀδηγοὶ τῶν ἐπικρήμνων ἴσως; Ἂς ἔπυθ' ὡδήγησαν ἐς βάραθρα. Οἷς μὴ δ' ἔπαιξε δόγμα συντομώτατον. Σωτηρίας δίδαγμα τ ὐστομώτατον. Ὅσων τὸ ῥῆμα τοῦ τρόπου κατήρρεον. &c. Naz. de vitâ ſuâ carm. (*c*) *Philoſophorum ventoſa loquacitas non bonus eſt imber, qui ſterilitatem magis intulit terris, quàm fertilitatem, vinum quoque ſapientiæ ſæcularis malè inebriat quia non ædificat mentem ſed inflat & vias cœleſtis ſapientiæ præcludit.* Bern. in Cant. (*d*) Chryſoſt. ad Patr. fid. lib. 3.

ſit

ſit ceſſura. Proinde minimè conſentaneum videtur rationi, de *inferioribus* eſſe ſollicitos, cùm *præſtantiora* negligamus. Dum eximiam *Linguarum* peritiam ambitis, tandem aliquando, (& quantillum hoc laudis eſt quod etiam pueris eſt commune?) *docti* evaditis *nomenclatores*. Cùm intima *naturæ* penetralia ſcrutamini, nihil aliud lucratur rimatrix mundi induſtriâ, quàm majorem inſcitiæ & imperfectionis conſcientiam, dum ex inſcrutabili naturæ abyſſo colligat Philoſophus, plurima cùm *ſciat*, plura adhuc reſtare quæ *neſciat?* Cùm *Dialecticæ* apicem attigeritis, acuti ſæpiſſimè evaditis *impoſtores*. Cùm *Mathemata* ediſcitis; quorſum tot Geometriæ *figuræ*, cùm unica Chriſtiano ſufficiat, *cubica?* quorſum tot *Geographiæ* climata & meridianos depingitis ſi (quod de *Archytâ* Poëta Epicureus) *maris terræque menſores, exiguus pulvis mortuos cohibeat?* quorſum *aſtra* ſcrutamini & varias *planetarum* influentias, ſi (quod *Thaleti* evenit, ridente interim aniculâ) in foveam ſupini recidatis? quorſum *numeros* agitatis, ut ex ipſorum mutuis nexibus & complicationibus poſſitis expeditiùs *addere, ſubtrahere, dividere, multiplicare*, ipſi forſitan inter reprobos *numerandi*. Miſſas proinde faciatis inanes illas Doctrinæ umbras, & vana artium humanarum crepundia. Nuncium remittite omnibus Philoſophiæ nodis, Scholarum ſtrophis, & arenæ Peripateticæ. Imò nuncium remittite perplexis illis *Theologiæ ſpeculationibus*, quibus tantopere inſudare ſolent, qui ſcientiæ famam ambiunt. *Fruſtrà cognoſcuntur* iſthæc omnia Chriſtum ignorantibus, & *tutò ignorantur* omnia Chriſtum cognoſcentibus. Imò potiùs vultis illa utiliùs ſimul & compendioſiùs *ſapere*? Pro comperto habeatis, *Eum compendio ſapere, qui Chriſtum, qui ad ſalutem ſapit*. Vultis veram *Linguarum* gloriam? comparate vobis *labium purum*. Zeph. 3. 9. acquirite *linguam eruditorum, ut ſciatis tempeſtivè loqui verbum defeſſo*. Iſ. 50. 4. *nullus ſermo putris egreditor ex ore veſtro, ſed qui eſt commodus ad ædificationis uſum, ut gratiam auditoribus communicet*. Eph. 4. 29. Vultis *Philoſophiæ* lauream? Audite *Lactantium*. *Non tam ſtudendum eſt* (inquit) *ſapientiæ, quàm citò ſapiendum: non enim alia vita conceditur, ut cùm quæramus*

Philoſophia quæ eſt circa elementa mundi, qualis eſt Aſtronomia, magis eſt falſa quàm vera ſapientia. Scrutatur enim plagas mundi & ſpatia rimatur quæ ſibi prodeſſe nihil poſſunt. Ambroſ.

in hâc ſapientiam, in illâ ſapere poſſimus, ſicut ipſe in *voce* φιλοσοφία, graviſſimè ſimul & ingenioſiſſimè ludit. *Lib. de falſâ ſap. cap.* 26. Loco vacuæ iſtius *Ethnicorum Philoſophiæ*, & κατῆς ἀπάτης (prout *Apoſtolo* appellatur *Col.* 2. 8.) timorem Domini, *Sophiam Chriſtianam*, comparate, quæ Davidi רֵאשִׁית חָכְמָה utpote *principium* obtinens in omni verâ ſapientiâ, & *principatum. Pſ.* 111. 10.* quæ ſola ἄντως σοφία καὶ ὄντως παίδευσις, uti *ſacro Prophetæ* optimè ſuffragatur *Chryſoſtomus.*† *Cùm enim Philoſophia & Religio disjuncta ſint, & diſcreta, apparet, neque illam eſſe veram ſapientiam, neque hanc religionem*, uti optimè iterum de Ethnicorum philoſophiâ (cùm illam utique à religione (quàm *in manu tantùm & digitis poſitam* aſſerit) ſolerent diſtinguere) pronunciat *Lactantius.*(a) Vultis *Arithmeticam* numeris ſuis abſolutiſſimam? Eccam *Moſaicam*, *Ediſcite numerare dies veſtros*, Pſ. 90. 12. Vultis *Geometræ* perfectiſſimi evadere? Ad *normam* & intra *circumferentiam* legis divinæ, animas veſtras, ſtudia veſtra, converſationem veſtram reducite. *Vultis cognoſcere de ſtatutis cœli, & diſponere dominatum ejus in terrâ* (uti loquitur Jobo Dominus, *Job* 28. 33?) Dominum cœli & aſtrorum cognoſcere, & colere ſatagatis, & certiorem habebitis cœli concurſum, quàm qui hodie à *mercenariis hujus ſcientiæ jactatoribus*, ex incertis conjecturis, palpandíſque quibuſlibet deſultorii hujuſce ſæculi novatoribus accommodatis, promittitur. Non enim *aſtra vobis* dominabuntur, ſed *vos aſtris. Sidera* pro vobis *militabunt.* Jud. 5. 20. *Stabunt* juſſi, & revertentur *ſolis currus.* Joſh. 10. 13. Iſ. 38.8. nutu veſtro *claudentur* & *recludentur* cœli portæ *Jac.* 5. 17, 18. Omnis denique creata (quod majus eſt) *mundi inviſibilis* gloria vobis famulabitur. Sunt enim ipſi *Angeli* πνεύματα λειτουργικὰ propter hæredes ſalutis. *Heb.* 1. 14.

Nolo tamen (quod poſtremo loco monendos cenſui) ut iis, quæ ſuperiùs diximus, *exterminandæ* prorſus *humanæ literaturæ* quoque modo abutantur ignaviæ & ignorantiæ Patroni. Si quis *ſecus* fecerit, idem ille à me reſponſum feret, quod olim doctrinam hanc calumniantes à *Chryſoſtomo.*(b) Ἀλλ' εἴ τις ὑπὸ ῥᾳθυμίας καὶ ἀσφαλῶς καὶ βεβαίως κωλύειν τὸ βυλόμενον κωνιᾶν. Chryſ. Serm. 49. in Paul. vocat.

* *Vera ſcientia eſt quæ Dei cognitionem induxit, mores corrigit, reſtringit, voluptates affectuum purgat, intellectum in his quæ pertinent ad ſalutem animæ illuminat, & cor in amorem creatoris inflammat.* Jo. Ab. Trithem. lib. 2. ep. 1.

† Chryſoſt. ad pat. fidel. lib. 3.

(a) Lactant. lib. ſupra dicto.

(b) Ὥσπερ γὰρ στιμελίων σαλδυβίων, καὶ πάσης τῆς οἰκοδομῆς κινδυνευούσης καταπεσεῖν, ἐμπίπτει ἀνοία καὶ ῥᾳθυμία· οὕτω καὶ ἐνταῦθα ὁρᾷς τοὺς κονιῶντας μᾶλλον, ἢ τοὺς τὸν οἰκοδομοῦντας ζητοῦντας ἔχειν· ὅπω πάλιν ἀκμὴν φιλονεικίας, τῶν πίλων ἐχθρῶν

ἢν ἀναγκαίων παρέλθοι διδάσκειν &c. *Si quis ſine rerum maximè neceſſariarum neglectu, ſe doctrinam ſæcularem quæſiturum fidem fecerit, abſit ut ego ſummam quæ obtineri poteſt ejus abundantiam ipſi invideam. Sicut enim concuſſis & diſſilientibus auguſtiſſimi alicujus ædificii fundamentis, & nutantibus proinde parietibus, extremæ eſſet dementiæ non tam ædificatores adhibere, quàm cœmentarios: ita importunæ eſſet pervicaciæ, fundamentis muríſque firmiter locatis, cœmentarium deinceps aut tectorem prohibere.* Sapiens proinde in iis maximè verſabitur, quæ ſunt κεκωτατα: alia quælibet *recreationis* tantùm, aut delectationis gratiâ adhibebit, οὐ πρωταλέον τι ἐπὶ τῷ δείπνῳ παραφώμενον, (inquit *Clemens Alexandrinus*) iis perinde uſurus, *ac conviva bellariis poſt cœnam appoſitis, qui eorum cauſâ minimè abſtinet à cibis ſolidioribus (niſi forſan læſæ ſanitatis vitio, aut ſtomacho malè diſpoſito prohibeatur) ſed illis priùs quantum opus habet, liberaliter ſumptis, de iſtis poſtea quantum decet, pro more convivii adjicere non gravabitur.*

Clem. Alex. Strom. 6.

Denique (ut eximii *noſtratis Theologi* verbis læſæ tam diu *patientiæ* veſtræ culpam redimam, ſimúlque prælongæ huic *concioni* finem imponam) *ſit elatus apud vos Helicon, modò prælata Sion; potentur ſtudioſi rore Heliconis, ſed & ſaginentur flore Sionis; vigeant apud vos χαρίσματα, ſed in quibus effloreſcat & emineat χάρις, & Apoſtolica magis, quàm Attica; ſedeat in labris ſuada, ſed & in fibris grátia, quæ ſola flexanima ſuada, & ſuadæ medulla penetrantiſſima.*

Dr. Stoughton in Felicit. ult. ſæc.

Verbo, *Ambite*, quantum placet, *Dona potiora*, modò à *Viâ potiſſimâ non aberretis.*

FINIS.